A-25-93

7
2-257

Б
25
93

R.10005



# FEDERICI BORROMÆI

## CARDINALIS, ET ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI

# DE SACRIS NOSTRORVM TEMPORVM ORATORIBVS

## *LIBER PRIMVS.*

*PLERISQVE videmus accidere, vt maiorem in contemplanda per ſingulas partes ſtatua, ac veluti animati marmoris ſpiritu, hauriant animis voluptatem, quàm artis præcepta accuratè tractando, et perdiſcendo. Accidere quoque videmus, vt elegantibus ingenijs homines talium rerum ſtudioſi, dum varia ſta-* Statuarum cognitio.

*tuarum artificia, varioſque vultus, et motus, et inuenta diuerſa contemplantur, latente progreſſu, cognoſcant artis ipſius arcana, ſenſimque veniant inter eruditos, et ea quædam ſit diſciplina plena iucundiſſimæ voluptatis. Inde adeo bonis temporibus fiebat, vt Rectores vrbium, exercituum Imperatores, Cæſares, Reges ea ſtatuarum contemplatione delectarentur, ac de toto artificio dicerent ſæpe multa grauiter, et iucundè, ſibique valde honorificum exiſtimarent, poſſe diſtinguere ipſamet ſimulachra, et huius quidem amœnum habitum, illius verò venerabile os, et ſumma cum dignitate conformationem, ac demum alibi fictas ad viuum humanæ mentis perturbationes oſtendere et indicare. Itaque ego, cùm animum induxiſſem explicare nonnulla, quæ multum profutura Chriſtianis oratoribus exiſtimaui, communem in eo negotio præceptorum viam, et ordinem indecorum fore mihi ſum arbitratus. Magis autem expedire cenſui de quibuſdam ætatis noſtræ oratoribus ſermonem inſtituere, ac de illis tantummodo, qui ſuo dicendi genere mihi locum præberent ad ea tractanda, quæ vellem, quive ſtylo inſuper declaraſſent quamnam eſſent Eloquentiæ formam conſecuti. Quòd ſi quandam eorum laudationem ſcribere tantùm aggrederer, haud ſanè id prorſus alienum foret.*

*Cæterùm,*

Cæterùm, ea laudatio non tanti eſſet, vt multum in ea temporis, et laboris eſſe conſumendum putarem. Eſt igitur conſilium nobis illud quidem, vt in publica ſtatuamus luce pulcherrima hæc eloquentium virorum ſimulacra, ſed ita tamen, vt ſuauiter, ac iucundè cognoſcatur ars ipſa, qua ſtatuæ perfectæ, et expolitæ olim fuere, nec laudare tantum eas noſtri homines poſſint, ſed cauſam, et occaſionem quoque laudis agnoſcant. Sacri doctoris viri acutiſſimi dictum fuit, proficere magis homines iterata multoties lectione librorum, quàm ſi multa nuda præcepta memoriter ſciant. Nos verò iuſtius affirmabimus, ad artis huiuſce perfectionem ipſa exemplaria plus habitura momenti, quàm mutas litteras, et emortua iam volumina. Quid inſuper iudicij nobis faciendum erit de litteris, ac ſtudijs eorum, qui de præceptis huiuſmodi diſputant in ſcholis inutili ſubtilitate, animoſque iuueniles ita conterunt, et fatigant, vt, cùm ad ſcribendum poſteà, vel dicendum acceſſere, torpeant manu pariter, et lingua? Scilicet aridæ Quæſtiones, et ſpinoſæ, rigorque ſpeculationum inimicus oratoriæ facultati, ita conſumpſere ſpiritus omnes viuidos, omnemque ſuccum, et gratiam inuentionis, vt imminente neceſſitate, tamquam in arcto deprehenſi, confugiant ad nuda illa præcepta,

Operis ordo, cõſilium, vtilitas.

Nuda Præcepta [illegible]

*ſummaquè contentione ieiunum, ac fumſum, et inane quippiam artibus ſuis eliciant. Haud equidem ego negauerim vtilem eſſe præceptorum diſciplinam, ſed ità demùm erit vtilis, ſi parabitur ita, vt fructus eam vberrimi conſequantur. Nequè enim ad Eloquentiæ conſecutionem eſſe debent impedimento res illæ, quibus rebus ipſam rectè ſcribendi, ac dicendi laudem quærebamus. Cenſebimus autem in qualibet arte optima eſſe præcepta, ex quibus multi, præclariquè artifices extitere, atque opera præcipuæ nobilitatis. Quare, cùm videam tam paucos eſſe hac maximè ætate, qui venire in oratorum numerum poſſint, rurſuſquè tantum temporis in artis, atque præceptorum tractatione conſumi, profectò ſuſpicari cogor, id eſſe mali, quod à diſputationum ſubtilitate, qua vulgò magiſtri in ſcholis vtuntur, recedere oporteat, atque conſiſtere potiùs in exercitatione, et vſu, peruolutare libros, exemplis erudiri, paulatimquè concionibus aſſueſſe, ac per ea omnia mentem, et animum ita conformare, vt pulcherrima hæc ars ſenſim, ac iucundè admittatur. Id fiet, ſi cum vtili, ac neceſſaria præceptorum diſciplina vſum, exercitationemquè coniungemus. Sanè magna ea calamitas eſt generis humani, quod, vt aſſequatur rectam, laudabilemquè formam orationis, qua maximè nota à mutis animantibus*

Exercitatio caput eſt artis.

*differt,*

*differt, indigeat multo labore, multoquè ſtudio, idque longè etiam eſt calamitoſius, quàm in ætatis primordio non poſſe greſſum explicare ſine item diſciplina quadam incedendi. In hac verò dicendi arte, neſcio quo modo, et fato recedunt homines à recta ratione, vitantquè tutos tramites errore procliuiori, quàm in artibus cæteris, flectuntquè in hanc modò partem, modò in illam, fugientes vltro venerabilem Eloquentiæ formam, quam alioqui tamen aßequi omnes concupiuere. Quamobrem hoc arbitror verè poße dici præter cauſam, quam attuli paucitatis oratorum, paucißimos ideo reperiri concionatores eloquentes, quia rectam artis viam ferè non ſequantur. Eorum plerique nimis auidi rerum ipſarum, vnam eam agunt curam, et interim obliti partium cæterarum, non diſponere, non eloqui, non pronuntiare ſtudent, minimamquè ſui laboris, et induſtriæ partem in ea conferunt oratoris munera. Non igitur erit huic officio cumulatè ſatisfactum, ſi habebimus in promptu multa, et præclara, quæ ſcilicet exponamus populo, ſed exponendi ratio erit attentißimè circumſpicienda. Ac tantò magis id quidem, quantò difficilius eſt perſuadere cuipiam aliquid eorum, quæ ad animi ſtatum ſpectant. Capeßitur enim quædam pugna cum ſenſibus ipſis, atque cum eo eſt hoſte dimicandum.*

[Cur pauci Concionatores eloquentes.]

[Pugna cum ſenſibus.]

*Ideo*

Græci hominis dictum.

*Ideo grauiter, ac verè Græcorum aliquis dixit, non fuiſſe difficile cytharædo inijcere bellandi cupidinem Macedoni, potiùs admiraturum fuiſſe, ſi fidibus, et ſuauitate vocis frangere ſpiritus illos bellatores ac feroces potuiſſet. Ad eum modum, rem planè difficilem, arduamque tentaremus, ſi illud accideret, vt præcipuo cæleſtis auræ fauore deſtitueremur. Facilius eſt enim iudicem implere timoris, irarum, atque ſuſpicionum, quàm in animos inducere ſtudium paupertatis, et illud efficere, vt inimicos aliquis beneficio ſuo complectatur, humanaſque voluptates, non ad breue modò tempus, ſed per omnem vitæ ſuæ curſum ab ſe procul abijciat. Quamobrem, Eloquentiæ opera non minus admirationis habent profectò, quàm eſſe ſoleat in ijs machinis, quarum ingenio, et arte grauiſſimæ moles loco mouentur, aguntur in gyrum, ſubducuntur in altum, obſtupeſcentibus oculis, animiſque quanam id ope contingat. Nihilominus iſta fiunt omnibus horis in Eloquentia, nec ſolùm ſenſus ipſi vincuntur, atque ſuccumbunt, ſed ratione rationem ipſam ſuperamus; eſtque dominatrix hæc animorum flexanima dicta potens omnium rerum. Ac poſſunt vtique viri ſapientes ambigere, manune, an lingua maiora miracula fuerint patrata. Quæ cùm ita ſe habeant, illud ſanè ad Dei gloriam, et hominum*

Eloquentiæ miracula.

*ſalutem*

*ſalutem optandum eſſet, vt ſtudium artis huiuſce capeſſerent excellentiſſimis ingenijs homines, ſicuti quidem olim capeſſebant, vt de agri finibus diſputarent, quæſtumque vilem aucuparentur. Nunc tota ratio planè eſt immutata, nec iam Cæſares, aut Catones, aut Craſſi publicè dicunt virtutis, atque morum cura, ſed miro quieſcunt ſilentio, atque inſignis hæc regina Eloquentia plerunque in humili loco diuerſatur ac latet. Neque caret ea res arcano Diuinæ diſpenſationis myſterio, nimirum, vt Euangelium, et læta ſalutis nuntia pauperes ferant. Nam ſicuti pes inopis, vt ait Iſaias, fregit humanas opes, et illum inclyti nominis Senatum: ita ſimplici lingua piſcatores omnem humanæ facundiæ potentiam ſuperarunt. Itaque, præter varias, magnaſque rationes, conſentaneum erit etiam Catholicæ Fidei concionatorum ornamenta, et laudes à nobis explicari. Nam etiam in veteri philoſophia, obſcuriſſimæ conditionis homines et infimi loci, quia magnam virtutem præſetulere, laudantur. Imò principes oratoriæ facultatis, de quibus memoraui, nequaquam omnes natalibus fuere clariſſimis, ſicuti quidem illuſtre magni Arpinatis exemplum monet. Neque ceßit antiquorum famæ ac nomini ſecuta pauperum Chriſtianorum eloquentia. Eccleſiæ Patres, et Græci, et Latini*

Eloquentiæ dignitas imminuta.

Apoſtolici Oratores.

*nonne*

*nonne plerique omnes admirandam in perſuadendo vim habuerunt? Prætereà, proxima noſtris temporibus ætas nonne dedit multos pari ferè laude, et gloria, qui omnes, ſed primi magis, non tantùm à profanis illis perſuadendi viam didicere, ſed ab ſacris quoque Litteris, in quibus multum eſt eloquentiæ, contra quàm rudes ipſarum opinantur? Artis magiſtri tripartitam quandam fecere diuiſionem, vt omnem eloquentiæ vim ſtatuerent in confirmatione rerum, in conciliandis animis, in permouendis. Rerum confirmationes, ſi è ſacrarum Litterarum teſtimonijs petantur, erunt tutiſſimæ, quippe è Cælo delapſas eas pro certo habemus. Inſuper, de homine ſuadente aliquid conceptam hanc opinionem habemus, afflatum eum diuino ſpiritu ſingula pronuntiare; demum illius verbis tantus animi motus, ac tanta vis ineſt, quanta nulla vnquam humani ingenij facultas æquare poſſit. Prætereà, cum ſint diuerſa genera dicendi, humile videlicet, excelſum, et mediocre, per omnia hæc genera ſacrarum Litterarum Eloquentia mirificè peruagatur. Cum item ſit Eloquentiæ munus, rem ipſam, tum augere verbis, tum deprimere, tum oculis ſubijcere, proſequi quoque laudibus, dare conſilium, ferre ſententiam; eorum omnium munerum eſt quædam in ſacris Litteris diſciplina. Modo contor-*

Tripartita diuiſio Eloquentię.

Genera dicendi.

Sacrarum Litterarum eloquẽtia.

*quetur*

*quetur enthymema, modò res agitur exemplis, modò amplificatione verum eximia. Tropos omnes, et figuras, et omnes vultus commutatæ orationis ibi comperiemus. Ac ſicuti de Paulo Apoſtolo Hieronymus ait, fulgurantem quodammodo Periclem in ſingulis partibus, atque tonantem, et permiſcentem omnia licebit admirari; quæ ipſa commouere Lyſtriorum animos, vt Mercurium eum appellarent. Porrò, quemnam excelſæ orationis locum habent vniuerſa profanorum litteræ, quem non vincant verba illa Iobi, quæ Dei naturam eſſe impenetrabilem affirmant?* Iobi vis in dicendo.

Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi ſi habes intelligentiam. Iob cap. 38. n. 4.

Quis poſuit menſuras eius, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam?

Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut quis demiſit lapidem angularem eius.

Cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?

Quis concluſit oſtijs mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens.

Cum ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem?

Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia.

Et dixi: Vſque huc venies, & non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.

*Cæteraque de Diuinarum rerum miraculis, et arcanis tanta orationis maieſtate ſequuntur, quantam humanæ facundiæ vires haud ſuperarint.* Humanę calamitates ab Iobo deſcriptæ. *Mortalis quoque vitæ calamitates, et hæc noſtra mala ſic ab eodem exaggerantur, vt ab nullo magis oratore potuerint commonſtrari. Quantum habent ea verba vel breuitatis, et acrimoniæ, vel neruorum, et amplificationis?*

Iob cap. 3. u. 3. Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt: Conceptus eſt homo.

Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus deſuper, & non illuſtretur lumine.

Obſcurent eum tenebræ, & vmbræ mortis, occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus.

Sit nox illa ſolitaria, nec laude digna.

Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan:

Obtenebrentur ſtellæ caligine eius: expectet lucem & non videat, nec ortum ſurgentis auroræ:

Quia

Quia non concluſit oſtia ventris, qui portauit me, nec abſtulit mala ab oculis meis.

*Quòd ſi etiam inter monumenta ſacrarum Litterarum, deſcriptiones inquirere velimus eas, in quibus profanorum exultat atque geſtit oratio, comperiemus, equum nec à Virgilio, nec à Claudiano magis ad viuum potuiſſe depingi, quàm à Iobo tot ante ſæcula fuerat depictus.* Equi deſcriptio apud Iobum.

Numquid pręebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius hinnitum? Iob cap 39. u. 19.

Numquid ſuſcitabis eum quaſi locuſtas? gloria narium eius terror.

Terram vngula fodit, exultat audacter: in occurſum pergit armatis.

Contemnit pauorem, nec cedit gladio.

Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta & clypeus.

Feruens & fremens ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare clangorem.

Vbi audierit buccinam, dicit: Vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus.

*Nec in vna tantùm parte, ſed in omnibus hæc elucet eloquentia. Nam acerrimæ obiurgationes in Prophetarum libris, ſaluberrima Salomonis Regis conſilia, mirificæ laudes in vniuerſa pſalmodia, in Apoſtoli litteris varij motus animi* Prophetæ, Salomon, Paulus eloquentiſſimi.

*ſuperant omnem eloquentiæ profanæ conatum, et artem. Quamobrem, ita ſtatuere poſſe videmur, diuinarum Litterarum monumenta plurimum habere facundiæ, poſſeque cuiuslibet animum ea lectione ad rectè, et copioſè dicendum informari.*

Sacrarum Litterarum eloquẽtia nõ omnibus patet.

*Non tamen omnes cæleſtis eius eloquentiæ myſteria poſſunt intelligere. Ea nimirum fuit cauſa, cur medijs temporibus, et in illa ætate, quæ longè iam receſſerat à feliciore Patrum ſæculo, non animaduerterent homines, neque caperent artificioſos iſtos Diuini Spiritus ſermones, et latentis eloquentiæ formam. Tantùm conquirebant hinc inde ſententiolas minutas, eoque genere frequenter vtebantur, cùm ſcilicet ita perſuaſum haberent, inanes orationis partes fore ſingulas, quæ non ſacrarum Litterarum auctoritate confirmarentur.*

Mediorum temporum eloquẽtia.

*Erat etiam ætas illa, ſi noſtram intueamur, obſcurior, et in illuſtribus Græcorum, Latinorumque litteris admodum peregrina. Non tunc oratorum libri manibus terebantur, non ex poetarum, et hiſtoricorum numero grauiſſimum quemque legebant; ex Græca verò copia plurimi nondum in Latium erant traducti. Quæ cùm ita ſe haberent, haud ſanè videri mirum potuit, ſi ſummam eloquentiæ laudem non aſſequerentur. Sed in hiſce tenebris tamen, et in hac litterarum obſcuritate præcipiebant multa ſalutariter,*

piè

*piè mouebantur, obiurgabant vitia, virtutis amorem in animos inducebant, quibus rebus non mediocrem laudem adipiſcebantur. Apparet in illis ea quoque digna res admiratione, quòd erant eximio ſacrarum Litterarum vſu, et lectione contriti, quamuis fortaſſe neque rerum, ac locorum delectum haberent eum, quem poſterior ætas eſt ſecuta, neque intelligerent ad perfectum ea, quæ iam intelliguntur. Nihil veniebat illis in mentem, nihil pronuntiabant, quin ſtatim haberent in promptu teſtimonium, et locum, quo rem eam aliquo modo confirmarent. Atque in eo ſanè reprehendenda noſtrorum temporum videtur inertia, quæ tanta iam cœpit eſſe, vt inueniantur è concionatorum numero, qui minimam ſtudij partem in ſacras Litteras contulere. Scilicet in conquirendis teſtimonijs alieno vtuntur labore, confectoſque ſyllabatim indices adeunt, non vt locorum, quos antea notauere, recordentur, ſed vt nouum ſubinde aliquem parent. Fit hoc inutiliter, atque peruersè; namque ſic agendo, teſtimonia temerè proferuntur abſque germano ſenſu, miſerèquè retardat et hebetat frequens vſus indicis ea ingenia, quæ laborem alioqui contemnere omnem debebant. Ætatis iſtius mediæ clariſſimi Scriptores fuere, Hugo, cui cognomen è Sancto Victore, Innocentius III. Pontifex Maximus, Iacobus Vitriacus,*

Teſtimoniorum, & locorum copia.

Noſtrorum temporum inertia.

Ætatis mediæ Scriptores.

*Vitriacus, Antonius Patauinus, Bonauentura; Thomas, Vincentius ex Concionatorum Ordine. Ab anno ferè milleſimo ducenteſimo, continuata deinceps ſucceſsione, numerus hic durauit. Verborum ſæpius, quàm ſententiarum ornamenta illis placuere; quod genus, vbi frequenter adhibeatur, pondus et auctoritatem abrogat orationi, et ſunt ex ea figurarum copia nonnullæ præcipuæ leuitatis, ac languoris. Bernardus in ea numerandus claſſe, ſupra cæteros quodammodo viſus eſt efferri; propiuſque ad nomen et laudem oratoris acceſsiße; fuiſſe acer et ſeuerus in reprebendendo. In Angelico autem Doctore non ſolidam tantummodo, ſinceramque demirari ſapientiam oportebit, ſed eam præcipuè diuinarum Litterarum peritiam, atq; vſum, de quo ſuperius demonſtraui. Ea ſacrarum Litterarum peritia et vſus magnos ipſius Aquinatis labores, magnaſque vigilias oſtendebat. Sancti Antonij Patauini, et Sancti Vincentij Dominicani ſermones in magno debent eſſe bonore ac pretio, quia magnum humano generi, dum haberentur, attulere fructum et vtilitatem. Id fiebat, non ſolùm præcipuo Diuinæ benignitatis fauore, ſed etiam candidiſsimis ipſorum moribus, qui commendabant orationem, atque cum ea gratia magna vis in ſimpliciſsima verba deſcendebat. Cæteri poſsunt vel vtilibus docu-*

S. Bernardi eloquentia.

S. Thomæ eloquentia.

*documentis, vel exquiſito quodam ordine, vel facilitate, vel in vniuerſum breuitate placere; videturque nonnumquam eorum oratio varijs dicendi ornamentis exurgere et attolli. Illud verò de temporum eorum conditione eſt animaduertendum, florentiſſimam artibus, et ſcientiarum diſciplinis ætatem fuiſſe, ita vt, cùm ſtreperent omnia dialecticorum diſputationibus, cumque philoſophi, ac theologi velati regnum obtinerent, Eloquentia neceſſe habuerit conticere, quantum antea numquam feciſſet. Neque minimam ei ſilentio cauſam fuiſſe putauerim, quòd, vt quiſque maximè polleret ingenio, ita plurimum in diſſoluendis è media philoſophia, theologiaque nodis occuparetur. Itaque ipſi, cùm diù primis illis ſtudijs aſſueuiſſent, quandocumque concionarentur è ſuperiore loco, nihil facere aliud poſſe videbantur, quàm proponere quæſtionum nodos, eoſque diligenter explicare non ſine verborum formis, quæ ſolito diſputantium more ad rem breuiter, et obſcurè diſtinguendam, finiendamve pertinerent. Id ipſis erat expeditum ac facile, quia nouum inſumere laborem neceſſe non habebant. Sed promiſcuæ plebis aures in tanta rerum, et verborum ſubtilitate peregrinabantur, neque poterant vllo modo quæ dicerentur, intelligere. Tunc prima concionatorum, et maxima laus debuit eſſe, ſi*

Media ætas floruit Sciētiarum ſtudijs.

Aetatis mediæ Concionatores quæſtionū nodos proponebant.

*foret*

*foret ipſorum oratio plena tenebrarum, et obſcuritatis, neque fiebat hoc vlla profunditate doctrinæ, quæ ſubeßet orationi, ſed ſtupore quodam, quo defixos animos auditorum tenebant. Genus hoc Dantes poeta, cùm in ſui temporis concionatores inueheretur, eximia verborum maieſtate deſcripſit, quæ ſoluta, et Latinè conuerſa, totidem fuere.* Conatur vnuſquiſque videri, et ſua inuenta in idipſum confert. Ea ſectantur auidè concionatores: Euangelium autem ſiletur. Alius ait, Lunam ſeſe contorſiſſe patiente Chriſto, ac ſemet oppoſuiſſe, quia Solis radij non illuxere Mundo. Alius, lucem latitaſſe vltro; inde factum, vt Hiſpano, & Indo, & Iudæo communis ea eclypſis foret. Non ſunt Florentiæ tot Lapi, tot Bindi, quot huiuſmodi fabellæ quotannis hinc inde proclamantur è ſuggeſtu. Ita ſcilicet ouiculæ ſimplices redeunt ex paſcuis ſatiatæ vento; nec ignorantia damni minuit damnum. Non dixit Chriſtus primo ſuorum conuentui: ite, canite mortalibus nugas, ſed vera ipſis oſtendit fundamenta; idque in ore vnum habuere, atque pro fide dimicantes, ex Euangelio lanceas, & ſcuta deſumpſerunt. Nunc ad concionandum itur cum facetijs, & vanitate; ac dummodo riſu quatiantur omnes, inflatur cucullus, nec

Dantis verba in ſui tēporis Cōcionatores.

Parad. Can. 29.

vltra

vltra quidquam petunt. *Hæc igitur verba declarant, non ex theologia ſolùm, ſed etiam ex philoſophia quæſtiones in ſuggeſtu ſolitas fuiſſe tractari, quas ipſas leuiſſima et ſcurrilia dicta paulatim inquinarent; eaque peſſima conſuetudo creuit poſtea tempore procedente. Ex hoc numero concionatorum et genere tunc fuerunt Albertus Patauinus, Iacobus Loſana, Bartholomæus Piſanus, Philippus Montius, Armacanus, Antonius Balocus, alijquè complures, inter quos ego Guarricum Abbatem, et Ioannem Taulerium aliquantò potiores, quàm ceteros exiſtimaui. Diuerſam quinimò viam inſiſtunt: nam Guarricus quidem eſt ſuauis in dicendo, quiddam ſapit oratorium, commouetur animo, vitia et perditos mores obiurgat. Taulerius autem ætate ſua ſanctimonia famam adeptus, totus eſt in contemplatione, ſemperquè vocat auditores ad interiorem animi cultum, et, vtì ſe ipſos agnoſcant, hortatur. Senſere fortaſſe poſtea, quicumque concionalem hanc artem factitarent, id genus, eamque formam orationis, neque tam acceptam eſſe populo, neque tam vtilem, quàm antea fuerant opinati. Itaque ratione mutata, et omiſſa diſputationum ſubtilitate, ſeſe totos ad ſtudia ſacrarum Litterarum contulerunt. Et quamuis mira tunc librorum eſſet penuria, conabatur tamen vnuſ-*

Concionatores, quos Dantis ætas habuit.

Guarricus Abbas & Ioánes Taulerius.

Concionatores cœpere ſacras Litteras amplecti.

*quiſque varia Patrum dicta, ſententiaſque parare ſibi, quibus ad varios concionum locos, et opportunitates vteretur. Atque in eo ſumma voluptas erat ipſis, quemcunque locum tractarent, eum poſſe Patrum auctoritate confirmare. Cæterùm, haud facilè dixerim quanam fuerit cauſa, quamobrem tum in Patrum, tum in vtriuſque Teſtamenti litteris eſſent adeo vulgares, et quotidiani, neque recondita et exquiſita, ſed communia et vulgata ſequerentur. Inualuerat his omnino temporibus ea conſuetudo, vt concionatores vterentur in ſuggeſtu ſalibus, et multa dicacitate; qui ſanè peſſimus mos nihil abeſſet ab eorum licentia, qui ſacra vaſa, ſacerdotalemque veſtem contumelioſè tractarent. Accenderetur enim [illegible]libet noſtrum ira, ſi fieri hoc videremus, ſtatimque ad rei vlciſcendam indignitatem accurreremus. Vtebantur etiam ætatis illius concionatores inani pompa, qua multum abeſſet à Chriſtiani oratoris dignitate, valdeque putida eſſet et indecora. Nam elata ſuauiter manu, ſolenni quodam more cucullum attingebant primò, dein oculos attollebant in Cælum, ita vt viderentur ſpeciem magis affectare pietatis, quàm intimis eam ſenſibus habere conceptam; circumferendo poſtea reuerenter caput, compoſita nimiùm, et commentata ſalutatione, vultus effingebant eos, qui à natiuo ipſorum*

Sales in ſacris cócionibus nó adhibendi.

Ineptus Concionatorum apparatus.

*habitu*

*habitu manifeſtè diſcreparent. Hæc omnia, mea quidem ſententia, vitare oportebit, quia velut ineptiæ ſunt in ſuggeſtu. Et quamquam ſunt in principio dicendi danda ſigna pietatis; ea tamen ſignificatio debet eſſe, quæ oſtendat populo ſincerè pium animum, non ſtudium, et induſtriam, et in eo genere paratas artes. Errabant etiam in eo, quòd apparatu tanto, tantaque meditati ſermonis oſtentatione, non ſentiebant quantum oneris imponerent ſibi, quantamque de ſe concitarent expectationem, cui ſi ſatisfacere vellent, mirifica, et inaudita quædam eſſent dicenda, nec tamen vllo modo proferebantur. Horum in numero fuere Leonardus Vtinenſis, Petrus Ieremias, Odo Pariſienſis, Robertus Caraciolus, Georgius Britannicus, Michael Carcanus, Pelbartus Oſualdus, Petrus Dorbellus, et alij, quos omnes haud fuerit facile recenſere. Sed Ioannes Gerſon, et Laurentius Iuſtinianus, et ſancti nominis Bernardinus Senenſis præcipuam in ea claſſe laudem inuenerunt. Ac de Gerſone quidem poſſumus affirmare, quemadmodum et exaggerare rem ſciat, et animos mouere, ſintque rationes ipſius, et argumenta, non tam eruditione multiplici, quàm varijs ad mores excolendos referta documentis. Iuſtinianus autem non parum ſanè fecit in illa ætate, quòd nonnullam eſt eloquentiæ* Gerſonis, & Iuſtiniani laus.

*faciem aſſecutus, quodque non mediocriter valuit in animis concitandis. Id adeò Chriſtianis moribus, et rara ſua pietate conſequebatur. Bernardinus etiam eximiè claruit inter ſuos communi gentium exiſtimatione ob res eas, quæ ab ipſo diuinitus fiebant. Vniuerſa illius cura conſumitur in moribus emendandis, et in caſtiganda hominum vita. Ferme per ea tempora, nimirum anno milleſimo quadringenteſimo octuageſimo, poſtquam redempti ſumus, extitit ille multi nominis Hieronymus Sauonarola, de quo tot ſermones inter homines habiti, in quem varij tot, immo contrarij caſus inciderunt. In hoc homine, niſi mea me fallit opinio, cœpit Eloquentia magis, quàm vnquam anteà caput efferre, cùm per tot retro ſæcula velut exulaſſet. Atque exiſtimo ego, Sauonarolam aliquid in dicendo lucis ex aſſidua conſuetudine virorum illuſtrium hauſiſſe, qui viri ſæculum illud illuſtrauere. Multum enim vtebatur Pico Mirandulano, familiariter Ficino, et Hermolao Barbaro, paribuſque nonnullis. Si ars eſt vlla, vel ſcientia, quæ poſſit expoliri, vel augeri tantùm intuendo, et imitando clarorum virorum inſtituta, et mores, eorumque verba diligenter excipiendo, ea profectò eſt Eloquentia. Multum enim ſanè leporum, multum acrimoniæ, gratiæ, venuſtatis adhæreſcit etiam non ſentienti*

Hieronymus Sauonarola.

tienti ei, qui frequenter vtitur homine litterato. Iudicium interim acuitur, et expolitur, Scriptorumque notitia paratur. Noſtra demum oratio ſerium, ac nobile quiddam acquirit, nullo ferè labore ac ſenſu, quod aliàs facilè non aſſequeremur. Sauonarolam igitur inclyta illa Florentina ſocietas illuſtrauit, ſplendoriſque partem contulit eius orationi. Recedendo nonnihil ille à Durando, vel Scoto diſputatore, ſacrarum Litterarum ſtudia, quantum anteà nemo, eſt amplexus, verbaque deſumens inde, et præſertim ex Prophetis, prout monebant tempora, prout etiam ſpiritus, et inſtinctus ipſum agebant, prædicebat futura. Mos ille vaticinandi temerè futuros rerum euentus inter concionandum, nullo modo poteſt iuſta reprehenſione carere. Ac fuit noſtra tamen memoria, qui per Italicas vrbes prænuntiaret multa concionabundus, inſtanteſque calamitates, et imminentia mala, præſago ſcilicet animo, deploraret; quæ vaticinia, cùm exitum poſtea nullum haberent, irridebantur, offenſis animis populorum, qui tantam eius hominis auctoritati fidem adhibuiſſent. Non item probauerim ego morem illum, quo plerique narrare de ſuperiore loco, ſi quid alibi fortè prædixerint, conſueuère, memorantque mirifica quædam ſuo miniſterio geſta diuinitus et patrata. Periculum eſt enim, ne intumeſcat

Doctorum hominum conſuetudo vtilis Cōcionatori.

Vaticinari non debent Cōcionatores.

*tumeſcat interim animus opinione ſui; quod ipſum tunc maximè poterit accidere, cùm minus fortaſſe timebitur. Nec mihi placuit vnquam, ſi quis in dicendo memoraret euentum, quo recenti conuerſione traduxiſſet aliquem in rectam ſalutis viam, et quemadmodum ad ſe venerit aliquis, fructumque concionum ipſius indicauerit. Et erunt ex auditorum numero, qui nullo modo ſatisfactionem accipiant, ſi quis in ea prædicatione dicat, ſe tantum ſpectare gloriam Diuinam. Credunt enim homines plerumque deteriora, benignèque rem interpretari raræ eſt virtutis. Ac pertinebit ſæpe magis ad gloriam eandem Diuinam, res eas inuoluere ſilentio, quas in malam accipere partem aliquis poßit, quàm eas commemorare. Viſus eſt ergo Sauonarola per eam ætatem animaduertiſſe quænam recta dicendi eſſet via, cuius veſtigia tamen apparent in ipſius monumentis obſcuriora, quàm in concionibus ipſis apparuere, dum haberentur. Scilicet ſeueri mores hominis, horrida veſtis et inculta, profunda ſpecies oris, et frontis, et oculorum magna grauitas, opinio prudentiæ, amicitiæ illuſtres, innumeri aſſeclæ ſimul adſtruebant orationi fidem et auctoritatem, ſimul ſplendorem illius augebant. In ea ſanè parte conciones fuere mirificæ, quod incredibili proſequebatur ardore, quidquid effaretur,*

Sauonarolæ habitus, & vultus.

*retur, flagrantiſſima charitas, incorrupti mores planè ſupra ſaculum illud eminebant. Concionatoris huius fama neminem illa ætate, vel æmulatione, vel exemplo parem excitauit. Crediderim tamen, laude ipſius et nomine, et recenti adhuc fructu, poſt aliquot annos, dicendi ſtudium placuiſſe Cornelio Bitonto, qui, ſicut litterati tunc homines aiebant, primus in ſacrata clauſtra vrbanam atque nobilem formam inuexit, poſthabita rudi et agreſti, qua vſi fuerant priores. Neſcio, an pari quiſpiam alius laude tunc ſcribere conciones potuiſſet Italica Lingua. Debetur ei tamen venia, quòd ſtylo fuerit ſolutiore, ac minùs ad eius Linguæ leges exacto et religioſo, quàm certè fuiſſet, ſi contigiſſet ei, vt noſtram hanc in ætatem incideret. Nam Etruſca Lingua, fauentibus ingenijs, adnitentibuſque, ſumere videtur in dies incrementa ſplendoris, et ſcribitur hodie maiore verborum delectu, quàm olim fiebat. Bitontus non putauit ſibi eſſe faciendum, vt redigeret linguam in anguſtum et arctè circumſcriberet; ideo vocem arripiebat omnem, quacunque vrbani modò, et rectè loquentes vterentur. In actione ſiue geſtu ſumma fuit eius cura tantaque ſolicitudo, vt manarit hæc fama, neſcio certè quanta cum ipſius laude, conſueuiſſe ipſum, adhibito etiam ſpeculo, componere ac moderari motus*

Cornelij Bitonti laus.

Etruſcæ Linguæ incrementa.

Bitonti artes, & conatus.

*omnes,*

*omnes, priuatimque faciendo periculum ſui, ſolitum eſſe cauere ſine fine, ne quid publicè faceret omnino præter decorum.* Cellæ vitia. *Cauendum eſt vtique concionatori, ne in cellæ receſſu ea vitia geſtus et actionis contrahat, quæ, ipſo poſtea inſcio et non animaduertente, ſeſe proferant atque conſpiciantur in publico. Ideo reperiuntur multi, qui ſoli ſuas conciones ediſcentes in ſolitario loco, verberant manibus abacum tumultuosè, contorquent vultus et ora modis inſanis, caput quatiunt indeſinenter, præcipitant verba celerrimè, pronuntiant ineptè, ac frigidè; moxque cùm aſcendêre ſuggeſtum, incidunt in eadem vitia non leui ſuo malo ac detrimento. Id fit ad eum planè modum, quo videmus accidere, vt cum externis hominibus agendo, moribus et inſtitutis vtamur iiſdem, quos mores et inſtituta noſtros inter familiares adhibere ſolemus, domeſticæque conſuetudinis vitia nos inſcios in publicum ferme comitentur. Aduersùs id incommodum haud fortaſſe fuerit alienum præcepiſſe, vt inſueſcant oratores noſtri metiri ſignificatione rerum, aut neceſſitate actionem vniuerſam, quæ poſita eſt in voce, quæve in corporis motu, ita vt conſuetudini nihil detur. Nec enim videatur ab humana voluntate pendere, quæ aguntur temerè, et auditorum animi, poſtquàm rebus eiuſmodi multum inſueuere,*

*haud*

*haud ſanè commoueantur. In tota dicendi arte nihil eſt tam tritum et vulgare, quàm oſtendere vim atque virtutem actionis; quæ ſanè pars acerrimum et clariſſimum in oratione lumen iure poteſt appellari. Oratio tunc demum erit tenebricoſa, cùm ea in parte mancum ac turpe quippiam apparebit. Quamobrem, vt verè dicam, certis interuallis et quadam temporis dimenſione pulpitum percutere, quod facilè animaduertunt auditores, non ſecus atque ſi magiſtrum choro numeros adſignantem intuerentur, ſummopere fugiendum puto. Elicere præterea ſonum quendam ex colliſione palmarum, ſanctioris hebdomadæ tenebras fingere, ſtrepere nodis articulatim, vibrare brachia gladiatorium in morem, digitos atterere, permulcere barbam, atque componere quæ ſupereminent, itemque tunicæ, vel ſubuculæ manicas aptare, habent omnia ſanè deformitatem, inſpectante populo, nec ſunt ferenda. Solennes hoſce, turpeſquè modos ſi attentè conſiderare velimus, reperiemus ex rerum, aut verborum obliuione prouenire, quas res, et verba quiſque deſtinarat. Namque concionator, vrgente munere dicendi, nec ſuppetente lingua, ſubſidia ſibi hæc quærit, in quibus id videtur eſſe commodi, vt ſpatium præbeant ad cogitandum, et continuandæ orationis abſque dedecore vllo minuant neceſſitatem.*

Vis actionis.

Geſticulatio Cōcionatorum.

D tem.

Ineptiæ Concionatorum.

*tem. Non mihi placet etiam illa conſuetudo, qua ſatis clari nominis ætate noſtra concionator, elegantiæ cauſa, dexteram aliquando, ſæpe ſiniſtram reijcere in tergum ſolebat. Sunt qui ſtabiliendo cucullo numquam inueniant finem, fingantque tota concione timere ſeſe, ne dilabatur. Sunt qui etiam complicare ſudariolum ament, atque complicatum ſedulò ſtatuant in ipſa ſuggeſtus ora, conuerſis in id ſpectaculum auditorum oculis. Sanè ſudariolum, quamuis eximio foret candore, non debebit teneri manu, præterquàm neceſſarios ad vſus. Habet enim ea res fœdæ nonnihil imaginis; facilèque intelligere poterunt auditores, eſſe viles ipſos apud eum, qui effuſè ſic ac liberè facere velit omnia, nec vllam omnino partem ſuorum commodorum velit amittere, perinde atque ipſi non adeſſent. Oportebit igitur admodum eſſe cautos, ſiue tuſsis inſtet, ſiue proijcere aliquid ab ore neceſſe habeamus, vt ſcilicet parcè id atque intra modum fiat, non autem ea licentia, quam ipſa cubiculi noſtri permitteret ſolitudo. Hæc vitia tantum abhorrent ab artis decoro, quod in oratoria debet actione geſtuque cuſtodiri, vt nihil magis arbitrer, oratorem poſſe dedecere. Nam in oratore, ſi fieri poſſet, deberet eſſe, immo fuiſſe olim in perfectis illis exiſtimo quoddam artificium eiuſmodi, quo ſin-*

In Oratore decora ſint omnia.

*gula*

gula verba, motuſque componerentur. Neque id videri cuipiam nouum, atque arduum debet. Magnum enim ego virum aliquando narrantem audiui, fidicinem haud ita pridem fuiſſe quendam, qui, cùm ſuos cantus ordiretur, affirmaret, nullum verbum, nullam ſyllabam eſſe carminis, quæ non exquiſita arte contineretur, ſolutoquè deinde in cantum ore, fortuitò nihil moueret. Commune præceptum eſt orationis initio, ſubmiſſam eſſe vocem debere, cum pronuntiatione leni, quæ poſtea fluminis inſtar aſſurgat ipſo curſu et vires aſſumat. Sed ea res illud habet incommodi, quòd ita loquentem non poterunt auditores exaudire; fietque inde, vt, cùm prima non perceperint, ad reliqua deinceps intelligenda multum laborent. Ideo, me audiente, aiebat peritus homo dicendi, valdeque exercitatus in pronuntiando, commodiſſimum fore, ſi prima concionis verba, quaſi fulgurante voce pronuntiarentur, hoc eſt, ſi modo ſubmiſsè, modo diceremus elatè, præcipuaque contentione tunc vteremur, vbi verbum aliquod ad cætera demonſtranda luminis, et momenti plurimum haberet. Optima porrò vox erit in concionatore, quæ ſonora et plena efficaciter in animos deſcendet, quæve conſtabit æquabiliter inæquabili vigore, et quodammodo erit ſimilis harmoniæ, in qua partes cum toto di-

Commune præceptū orationis.

De Pronũtiatione præceptum.

Bitonti cura, & ſtudium.

menſæ proportione cohærent. Bitontus igitur, vt memoraui, plurimus erat in geſtu, eamque partem oratoriæ facultatis excoluit ita, vt magnam inde laudem adipiſceretur. Par ſtudium, atque diligentiam in rebus adhibebat, vt concionem ipſam accuratè litteris mandaret, antequam veniret ad dicendum. Aiebat enim, in ſingula ſcripta ſpatium menſis opus eſſe ſibi, ſi quam mouere hominum approbationem vellet. Neque debemus vllo modo mirari, quòd vir ille adeo lentè probaret ſua, immo crediderim, non ſatis id eſſe temporis; meminique narrari, nobilem fidicinem olim, atque principem eius artis, cùm plurium menſium ſpatio meditatus eſſet carmen, quod in conſpectu Regis Galliæ tempore deſtinato prolaturus erat, poſtquam cecinerit, tanta omnium animos admiratione perculiſſe, vt diuinam eam fuiſſe vocem ſuſpicarentur. Quare facilè inducor, vt credam, ſi tales ætas noſtra ferret artifices dicendi, quales canendi magiſtri olim extitere, futurum haud dubiè, vt muſicæ artis miracula in hac oratoria facultate renouarentur. Hominum enim natura generatim eſt eiuſmodi, vt ſenſibus obſecundare magis ament, quàm parere rationi. Cæterùm, in Cornelio Bitonto cœpere quædam formæ dicendi celebrari, quas eius aſſeclæ complures imitabantur; apud homines certè

Nobilis fidicinis exemplum.

Species mutuatæ orationis.

noſtros

*noſtros eas non tantì video fieri, quantì fortaſſe tunc fiebant. Detriuit enim eas, et corrupit aſſidua conſuetudo, fecitque viles; et animus aſſuetus eiuſmodi formis, minimè commouetur, cùm eas audit. Videtur enim minuta ſic oratio nihil habere ſerium, et ferri magis impetu quodam ſolito, et inani, quàm eſſe plena ſpiritus, et veritatis. Non placent prudentibus, et doctis quotidiana illa, quæ paßim audiuntur è ſuggeſtu.* Per caput, atque fortunas veſtras. Per veſtram fidem. Quis non videt? Quis non intelligit? *Et erunt in concione quamplurimi, qui rem ipſam nondum intelligant, de qua ſermo fuit inſtitutus. Rurſus alij.* Dicite quæſo. Vidiſtiſne vnquam? Deus bone. Deus immortalis. *Itemque vicies repetitum illud.* En, En. Ita ſanè. Minimè verò. Vos alloquor, docti; vos, theologi; vos, concionatores. *Hæc, inquam, omnia ſanas et eruditas aures offendunt. Etiam ſolenne illud* Sicuti, *quod ſuo verbo habet Etruſca Lingua, ſimile quoddam patitur atque Latinum illud* Quanquam; *quæ dictio nimium haberet venuſtatis, nimiumque placeret, niſi à ſuo vſu fuiſſet deprauata et corrupta. Item ſi locus inciderit aliquis eiuſmodi, vt vel comparare, vel illuſtrare ſimilitudine quippiam velimus, in orationis principio idem illud* Sicuti *magnopere fugiendum erit;*

Solennes cõcionatorum modi.

Similitudinũ initia.

*neque*

*neque enim deerunt ſexcenti modi, quibus id ipſum exprimamus. In tota Cornelij Bitonti dictione videbatur poſſe deſiderari, vt aliquantò religioſiùs ſcriptores imitaretur. Transferebat enim ille in ſua ſcripta totidem ferè verbis vt quidque placuiſſet ei; neque notabat locum, vnde ſententiam deſumpſiſſet. Examen apum, non formicarum latebras refert oratio perfecta, et cumulata omni laude. Poterat inſuper illius oratio plus habere maturitatis, et grauitatis, et conſtantiæ, ita vt præcipiti celeritate non raperetur, quæ fertur ad inſtar hominis currentis, et occupati, perinde ac ſi deprehenſus in arcto, ſpatij ſatis non haberet ad loquendum. Laborant hoc vitio concionatores illi, qui viuidam, et acrem, et inflammatam formam orationis intemperanter concupiuere.*

Res tractãdæ, nõ percurrẽdę Cõcionatori.

*Sed nullo modo poſſunt magni motus animorum excitari, cùm res ipſæ veluti quodam tranſitu percurruntur, non autem explicantur latè ac diffusè, quantum ſatis fuerat, immorando ſingulis et inſiſtendo. Conſpergitur enim leuiter animus eo liquore, non perfunditur, et penetratur.*

Flammę cum Bitonto comparatio.

*Huic nobili concionatori Bitonto, vel ætate, vel imitatione proximus fuit Gabriel Flamma, vir ille ſui ſæculi clariſsimus, et orationum gloria notus Italiæ, ſummaque cum gloria peruagatus inclyti nominis pulpita. Eius oratio non multum aberat*

ab

ab oratione Bitonti, ſed erat concitatior aliquantò; maioremque curſum, et impetum habebat in celeritate; nonnihil etiam auxerat ornamenta dicendi, ita vt eſſent in eo, vel plura, vel illuſtriora, quàm priores adhibuiſſent. Non eſt ſanè reprehendenda volubilis oratio, rapida, vehemens, incitata, ſi digna res impetu tanto ſubſit, vt magiſtri artis docent. Non tamen oportet eam eſse ſemper eiuſmodi, in quo peccare pleroſque concionatores animaduerto, quorum eſt oratio ſimilis rapidiſſimo flumini non conquieſcenti, donec in ſuo termino ac fine curſum abſoluat. Hæc flumina turbidiores et lutulentas ferme aquas vehunt, ac ſolo turbant adſpectu oculos, animumque. Non diſsimili planè ratione plurimis infecta ſordibus celerrima illa fluit oratio, nulloque fructu auditorem fatigat. In ea verò parte, quæ pertinet ad animos afficiendos, commodiſsimè, noſtra quidem ſententia, fecerint concionatores, ſi dicent leniter, ac ſedatè, nimirum vt ſpatium detur auditori, quo totis concipere ſenſibus, et in venas admittere rem totam queat. Quippe rerum etiam earum, quæ carent ſenſu, naturales varietates et mutationes nequaquam vno fiunt momento, ſed ſua tempora, ſuaſque moras ſeruant. In ornatu, et elocutione fuit Flamma accuratior aliquantò, quàm in rebus ipſis, quæ certè, nec ſplendore,

Volubilis oratio quando debeat eſſe.

In orationis extremo leniter dicendum.

Flamma verbis, quàm rebus ornatior.

*dore, nec veritate carebant, ſed olebant antiquitatem, nec erant omnino cum ipſa verborum gratia et venuſtate conferendæ. Gratiam eam tamen et ornatum ſatis ipſe continuit intra terminos, licèt largiùs vteretur, quàm cæteri conſueſſent. Secutis poſtea temporibus, egreſſa eſt iuſtos fines imitatio, tantaque venit orationis pompa, vt ſanè deformitatem haberent illi tot floſculi verborum in concione, nec ferri poſſent inanis gloriæ ſignificationes, atque indicia, poſthabito interim animarum fructu. Per id tempus, vno quaſi grege et agmine, innumeri concionatores extiterunt, quorum alij portentoſæ memoriæ ſibi decus aſſumebant; quidam vna ſeſe concione, rerum molem infinitam explicare poſſe gloriabantur; nonnullis etiam erat ea perſuaſio, fore magnos et claros oratores, ſi tanta dicerent velocitate, vt non Parthorum equi, non aues ipſæ ſuperare curſum poſſent. Vellem, legiſſent ea, quæ Patres antiqui ſcripta reliquerunt in eos, qui Diuinis in rebus vtuntur inani ſermone, et ornamenta fucata conquirunt. Quòd ſi Gregorio Nazianzeno videbatur infelix eſſe, quæ feliciſsima erat ætas, quomodo ille tandem afficeretur, ſi de concionatoribus hiſce leuiſsimis vnum aliquem audiuiſſet?* Fuit quondam tempus, *inquit ipſe*, cùm res noſtræ florerent, ac præclarè ſe haberent, cùm nimirum

Concionatorum multitudo.

Patres antiqui oderût inanes ornatus.

Greg. Nazíenzenus Orat. 21 in laudem Athanaſij.

rum ſuperflua hæc, et verborum lepore atque arte fucata tractandę Theologiæ ratio ad diuinas caulas ne aditum quidem habebat: verùm idem erat calculis ludere inuerſionis celeritate oculorum obtutum fallentibus, aut omnigenis & laſciuis corporis flexibus ſpectatores ludificari, quod noui quidpiam ac curioſi de Deo vel dicere, vel audire: ſimplex contrà ingenuaque oratio atque doctrina pietas exiſtimabatur. *Profectò ille mihi et iudicaſſe rectè videtur, et dixiſſe præclarè, qui pompam et ornatum orationis, non ſecus atque veſtem habilem ad corpus, et iuſta dimenſione accommodatam eſſe, dixit oportere. In eo debemus imitari pictorum artem, quæ ſuas ita veſtit effigies, vt corporis partes inter ſe æquabiles et aptæ transluceant, totaque ſimul emineat corporatura, non ſecus ac ſi forent nudatæ. Neque id faciendum eſt imitatione ſculptorum, qui membra fingunt ſimul et veſtiunt, ſed ſpectare potiùs et imitari oportet pictores eximios, qui corpus abſoluunt primò, deinde veſtem iniiciunt. Neque tota debet eſſe oratio compta et ornata, ſed certis tantummodo locis, et vbi res ipſa, et argumentum poſtulabit. Scilicet, nec omnia metalla poſſunt æqualiter incidi. Ideo, Virgilius etiam in canendo agrorum cultu, nequaquam omnes partes*

Pictorũ ars imitanda Concionatori.

Non tota oratio debet eſſe ornata.

*illius artis carmine ſuo amplificandas ſuſcepit, ſed eas tantùm, quæ digna forent conatu. Propterea, ornamenta tunc parcè erunt adhibenda, cùm vel docendi locus erit, vel diſputandi. Poterunt igitur concionatores prætermittere eos locos, et argumenta, quæ, beſtiæ velut agreſtes et efferatæ natura, manſueſieri numquam potuere. In Diuinarum diſciplinarum tractatione ſtudeant ita res eas temperare ac miſcere, ut ſimilitudine quadam referant elementa, quæ facultate imminuta, in coagmentatione et miſtura rerum reperiuntur. Nam Deus, et Dei miniſtra Natura tanto circa eam utitur artificio, ut pulcherrimæ inde res ad Vniuerſitatis huius ornatum et ſplendorem exiſtant. Atque id niſi fieret, certè vel Mundus ipſe conflagraret igne, vel ſqualeret perpetuo rigore ac gelu, vel etiam antiquo illo totius Orbis diluuio rurſus opprimeremur. Cùm autem in tota dicendi arte nullum ſit maius, illuſtriuſque lumen amplificatione recta et vera, non intelligunt plerique concionatorum, in quo ſit poſita partis huiuſce laus, et perfectio, ſicut etiam ad ipſum eloquentiæ nomen hallucinantur. Exiſtimant enim egregiè rem amplificari, cùm et adiuncta multa, et idem ſignificantia, et oppoſitas, atque contrarias inter ſeſe voces coaceruauere. Falluntur verò mirificè. Magis enim in ſententiarum,*

Quædam sũt argumenta, & loci ſimiles beſtijs agreſtibus.

Amplificatio ſũmum lumen orationis.

rum,

*rum, quàm in verborum figuris poſita eſt amplificatio. Prætereà, ſi rem ad propria et interiora præcepta reuocemus, non aliunde originem habet hæc amplificatio, quàm ex argumentis, quæ ducuntur, vel ex adiunctis, vel ex varietate cauſarum, vel ex contrarijs, vel ex effectis, vel ex ijs, quæ antecedunt effecta, vel conſequuntur. Quòd ſi habuerit eam artem, vt rem, de qua dicitur, poßit imminuere, vel augere, idque fiat eleganter, et ſcitè, cum ſplendore verborum, ac delectu, qui reſpondeat argumento, tantò plus laudis habebit. Et quia pars eſt eiuſmodi, quæ conſumere poßit omnem oratoriam facultatem, nihil debet tranſilire properanter, quin examinet omnia ſuis momentis, et debitam vnicuique rei moram impendat. Id fiet, ſi quodammodo ſimilis erit digreßioni, quam comparauerim amni, qui aliqua in valle, curſu parumper inhibito, ſtagnat leniter, poſt breuem deinde gyrum, recto decurrit alueo, et ſuum repetit iter. Talis eſſe debet amplificatio ad reliquum orationis noſtræ curſum comparata. Quoniam verò Flamma, quandocunque concionaretur, omnia proferebat lumina, quæ nunc legentibus ipſius orationes apparent; credere licet, ſolitum ipſum ea mandare memoriæ, quæ dicturus eſſet; neque tamen ea res vim, et ardorem imminuebat orationis. Atque ei for-*

Amplificatio in quo conſiſtat, et eius leges.

Similitudo ex amne.

Flammæ ſubtilis diligentia.

taſſe contingebat id, quod pauciſsimis alijs video contigiſſe, nimirum, vt ſingula concionis verba memoria complectendo, vim et efficaciam omnem retineret. Non igitur plenam habet laudem obſcura, et penè puerilis eorum diligentia, qui recitant in concionando totidem verba, quot ſcripſere; vixque vnus inter mille reperietur, qui occultare ac tegere negotium illud ſciat. Quin etiam illud videmur haud temere poſſe monere, nihil eſſe vtilitatis in eo, ſi laboret ediſcendo ſua ipſius ſcripta quiſquam, ita vt ea pronuntiare, ac repetere ſæpius inſueſcat. Id enim eſt nihil aliud, quàm ſe ipſum imitari, ſuoque ſtylo ſemper inſiſtentem, dicendi formas eaſdem iterare per imprudentiam, nec vlla vnquam variatione in dicendo fieri velle meliorem. Præſtabit igitur, aliena ſcripta mandare memoriæ, et quæ eximia in illis erunt, hæc aſsiduè, tamquàm exemplum aliquod, intueri. Proximus huic ætati valde diſsimilem formam dicendi eſt ſecutus Franciſchinus cognomento Viſdomini. Is, natura fortaſſe ductu, ad ſeueritatem inclinabat, omnemque videbatur vltro ſermonis elegantiam adſpernari, et intentus eſſe in id vnum, vt perſuaderet ea, quæ vellet cum plurimo animarum fructu. In obiurgando, rem nominatim deſignabat et notabat ipſam, quæ ſumma eſſe obiurgationis laus videtur. Negotium

Memoriæ mandare conciones inutile.

Frãciſchinus Viſdomini.

autem,

*autem, et munus ipſum obiurgandi, ſi velimus attentiùs introſpicere, quandam honeſtam laudabilemque detractionem, ſiue dicacitatem eſſe comperiemus. Detractio autem ea tantò erit acrior, aculeoſque tantò vehementiores ad pungendos animos habebit, quantò magis deſcendet ad intima et arcana, et veriſsima, quæ nullam penitus excuſationem admittant. Minimè diſsimilis eſt obiurgationum natura. Itaquè, ſi quis carpere generatim auaritiam inſiſtat, id humani animi vitium inſectando, frigida ſanè et languida reprehenſio eſt futura; magis vtique percellentur auditores, ſi quid in eo genere turpiſſimo quiſquam admiſerit, exponemus. Eſt etiam illud vtilitatis in hac tractatione ſingularium, quòd ea propè ad experientiæ auctoritatem accedant, cui nos ſummam adhibere fidem ſolemus. Immo ſæpè accidit, vt actiones ipſæ ſint veluti periculum, quo ſe aliquis experitur ac tentat. Earum poſteà teſtimonio ad ſuas rationes, et argumenta vtetur orator, inuito fortaſſe, et reclamante illo, à quo fuerint profecta. Inſuper, apud populares animos quandam habet imaginem diuinationis ea rerum exquiſita notatio, diſtincta temporibus, et locis, et perſonis: delectantur multi, vulgus admiratur, ſuſpicitque concionatorem, tamquam hominem Diuinum, quia deſcenderit ad ea, quæ*

Obiurgationis leges.

Tractatio ſingulorum.

nuper-

*nuperrime ſibi, proximiſve ſuis acciderunt. Tunc ſtatim intimo comprobabit ſenſu quidquid audierit, putabit veriſsimè dictum; ac ſi quiſpiam interrogaret, vellet etiam proferre de ſuo nonnihil ad rem confirmandam. Videntur demum illi communes obiurgationum loci, non tam ad nos pertinere, quàm vbi res, et actiones ſuis inſignitæ notis ante oculos ponuntur; et credimus, tam alios, quàm nos ipſos, illa iacta in publicum reprehenſione, potuiſſe moneri. Non feriunt animum, non accipiuntur, vt noſtra; quia nimirum in eo blanditur vnuſquiſque ſibi, vt cogitet optimè de ſe ipſo, ſuſpicari de alijs malit, ac niſi manifeſtè perſtringatur, viuat animo ſecuro. In hoc adeò fructuoſo reprehenſionum genere, quæ res, et homines nominatim ipſos attingunt, haud minus requiritur omnino vel iudicij, vel ingenij, quàm in alijs, quæ communiter adhibentur. Nam plerique artis ignari, decori leges egrediuntur, atque ſubmittunt, et abijciunt ita ſeſe, vt immiſceant concioni ridendas ineptias, ipſique quodammodo viles fiant. Penetrant in priuatas vſque domos, et quid ibi egerit ſcurriliter ancilla, credunt ſe poſſe vaticinari, tum, ſi quid vxor in virum facetè luſerit, videri volunt ſcire, narrabuntque publicè. Atque vtentur interdum humillima quadam et ſordida comparatione, vt ad tuum*

Cómunes obiurgationum loci inutiles.

Iudicium adhibendũ in obiurgando.

Sordidæ comparationes vitandæ.

ſen-

*ſenſum, et intelligentiam accommodare ſeſe velle videantur. Non eſt hæc illa ſanè ſingularium rerum laudabilis, et opportuna conſectatio, quam in obiurgatione concionatori eſſe propoſitam vellemus. Non incidemus autem in ea vitia, ſi dabimus operam, vt in rebus illis, quæ ad certos homines, et ad certa negotia pertinent, eluceat aliquid ingenij, vel ſtudij; ſi grauitatem, et pondus habebunt; ſi res eæ, quæ circumſtant, erunt cum aliquo ſplendore coniunctæ; ſi demum noſtri quoque mores adiuuabunt eam partem ſeueritate ſua, et grauitate. Aderant hæc omnia Franciſchino concionanti, ſi cuique aliquando, et fortaſſe commodiùs illi, quàm cæteris omnibus adfuere. Geſtus etiam in id vnicè compoſitus et accommodatus erat, quodque mirabantur omnes, cùm lingua eſſet tardiore, pulcherrimè ſtabat in oratorum numero; ac dixit eleganter aliquis, eloquentiæ laudem eum non fuiſſe conſecuturum, niſi eam naturæ iniuriam accepiſset. Vinculum enim illud linguæ dum conaretur abrumpere, concitabatur impetu vehementi; nonnullique geſtus interim cernebantur, qui vim incredibilem adderent orationi. Etiam illud ea tempeſtate de hoc oratore dictum ferebatur: Franciſchinus iſte ſi careret lingua, perſuaderet tamen, ſed nullo modo, ſi brachia, et manus deeſſent. Id erat nihil aliud,*

Franciſchini dotes.

Impedita lingua profuit Franciſchino.

*quam*

quàm affirmare loqui magis cum geſtibus, et actione tota, quàm ſermone communi. Ea ſcilicet etiam eſt cauſa, quamobrem ipſius otij fructus, et ingenij monumenta, quæ reliquit, cùm non potuerint illam arripere vim, et gratiam, quæ inerat homini, minus item præferant venuſtatis, et efficaciæ. Magnos, et vberes concionando motus animorum fecit, atque totus ferme fuit in eo, vt hominum pectora concuteret, ac feriret. Ad verum et ſincerum erant omnia, variabatque in omnes argumenti facies orationem; id, quod æquales eorum temporum alij facere non ſciebant. Erat oratio ſuauis interdum; aſpera nonnumquàm; alibi quadrata numeris et circumſcripta; alibi diſſoluta et fuſa; modò abundans et plena, modò conciſa et reſtricta. Plurimum ſtudij ponere deberent in ea varietate concionatores et reputare, quemadmodum tractari varijs modis oporteat orationem, inſtar equorum, qui non ſemper curſu, et ſaltibus incitantur, ſed flectuntur etiam in multiplices gyros, prout equiti ſtudium erit et voluptas. Claruit per ea tempora concionandi ſatis arte, et optimarum artium diſciplinis Alphonſus quoque Salmeron, de quo relictus locus eſſe videtur dubitandi, poßitne iure numerari concionator, quamuis multum ac diu verba fecerit ad populum ingenti concurſu.

Frãciſchini ſcripta.

Alphonſus Salmeron.

Cum

*Cùm enim eſſet apprime ſapientiæ ſtudijs eruditus, parauerat ſibi diuturno labore ſiluam rerum, eaſque proferebat, vtì primò fuerant repertæ, confuſas nimirum atque diſsipatas. Fuit plurima tamen ipſius oratio, plena rerum, et eruditionis, molemque librorum illum infinitam euoluiſſe legendo, poſſet facilè quilibet exiſtimare. Hæc propria laus erat ipſius, ſi tamen eam ſuo nomine appellari laudem oportebit. Non ſatis eſt oratori, ad nominis huius gloriam, et magnitudinem, confirmare quæ propoſuerit argumentando tantùm, et diſputando, ſed opus eſt illis, quæ nimium iam ſæpe nominamus, ornamentis, et venuſtate dicendi. Corpus enim illud orationis abſolutum atque perfectum quodammodo reſpondet coagmentationi et ſtructuræ noſtri corporis, in quo ſunt oſſa, compageſque neruorum, et venæ, diſpoſita membra, caro, ſanguis, color. Ad eum planè modum in hoc altero corpore ſunt verborum lumina, partes, aliæ quidem præcipuæ: aliæ verò minores, vis quædam efficax, et inſita, ſpiritus, argumenta, ſententiæ. Ac ſicuti membro cuilibet ſua pars earum rerum contingit: ſic apta proportione eſſe debent in toto orationis corpore. Neque enim figura diceretur humana, quæ nudis tantùm oſsibus, et rigida carne conſtaret. Quòd verò attinet ad copiam et vbertatem, eſt ſanè in ora-*

Oratio cõparata ſtructuræ corporis humani.

Oratio nõ debet eſſe arida & ieiuna.

*tore commendanda ſententiarum: et inuentorum opulentia quadam; itemque ſi exempla, et ex varijs petita ſcriptoribus auctoritates adſint. Pertinent enim ad perſuadendum hæc omnia; non ſolùm, quia continent probationes, et firmamenta rerum earum, de quibus oratio nobis eſt instituta, ſed quia dicenti conciliant auctoritatem, dum ſcilicet ille maximarum, pulcherrimarumque rerum ſcientiam eſſe complexus videtur. Ea eſt ferè de ſummis ingenijs, atque doctis hominibus in vulgus opinio, vt probos mores, animique prudentiam cum ſapientia credant eos habere coniunctam. Inde fit, vt maxima ſit apud nos fides illis, quos eſſe doctiſſimos arbitramur. Sæpe tamen accidit, vt in ſumma rerum copia deſideretur iudicium; reperiunturquè nonnulli, quibus opportunè cadere poſſe videatur in concionem quidquid inuenere legendo, vel meditando. Nos verò memoria tenemus, etiam fuiſſe concionatorem, qui, cùm die quodam inſudaret habendæ concioni, magnoquè ſtudio commentaretur ea, quæ dicturus eſſet, quaſi circumfluente rerum copia, verterit ad gregales ſeſe, dixeritquè: viri amici, quid faciam, vt exitum tandem inueniam ei ſermoni, quem paro; quandoquidem omnia quæcunque legi, vel excogitaui in hoc nata eſſe argumentum videntur? Nec deſunt qui cu-*

Concionatores abſq; iudicio

*ram omnem rerum, atque delectum ignorent, cunctaquè pariter apta, pariter exquiſita iudicantes, in magno ponant ſuæ ſapientiæ damno, ſi quid fortaſſe prætermittendum eſſet, quod promptum atque paratum haberent. Remedium huic auiditati noxiæ et vitioſæ vir ſapiens et eruditus mihi aiebat olim eſſe poſſe, vt, ſi quis inueteratarum in hominum linguis rerum deſiderio teneretur, nouam ſaltem rationem in illis explicandis adhiberet, ita vt antiqua illa et exoleta renouarentur, diuerſaque docendi via et modo res docere nouas videremur; nihilque eſſe tam rancidum aiebat, quin oratione poſſet illuſtrari. Conſilio igitur huic inſiſtentes, poterimus ornare varijs modis ea, quæ pronuntiauerint alij ſimpliciter ac nudè; eiuſdemque artis erit, et ab alijs demonſtrata dilatare, et longos aliorum ſermones in breuem conferre ſententiam. Facile eſſet nobis illuſtrare id propemodum innumeris exemplis, ſed inſtar omnium erit locus ille Xenophontis in Cyro, quo loco milites in præruptum aſperumque montem aſcendiſſe narrantur. Ea narratio duobus ferme verbis eſt abſoluta, cùm in deſcribendo pari montis aſcenſu Romanæ princeps Hiſtoriæ Salluſtius, conatus extremos artis potuerit adhibere. Si multitudinem vniuerſam eorum,*

Sapiētis viri cōſilium.

Xenophontis, & Salluſtij locus in eadem re.

*qui manibus terunt libros, inſpicere velimus, fructum omnibus ferè propoſitum eſſe vnum animaduertemus, vt rationes, vt ſimilia, vt exempla, præclareuè dicta conquirant. Cæterùm, exiſtimo ego, nequaquam ſummum et optimum pretium eſſe lectionis in eo, vt quæ ſunt incluſa voluminibus, in vnum quaſi cumulum extrahantur: potiùs autem erit, ſi lucis alienæ fauore, noſtri lumen ingenij ad noua quædam excogitanda, et inuenienda lectionem inter ipſam accendetur.*

Legendi fructus quinam ſit.

*Aliena ſcripta velut obſtetricantur animi noſtri ſenſibus, qui licèt iam anteà concepti laterent in ſua ſede, nullo tamen modo poſſent lucem adſpicere, niſi educerentur hac ope. Fit quinetiam eadem lectione librorum, vt ſenſa concipiat animus ad eum ferè modum, quo diuerſi generis animantes inter ſeſe congreſſæ, dant Mundo fœtus nouos. Vt verò ex lectione plus etiam vtilitatis in noſtra ſcripta deriuetur, oportebit id exequi, quod fertur de nobili quodam alumno Michaelis Angeli, qui nihil conſueuit vnquam pingere ſuo marte, quin delineatum illum à magiſtro tanta cum omnium admiratione confeſſum extremi Iudicij contemplaretur attentiſſimè, nobilibuſque ſic ideis et imaginibus informato penitus animo, ſumeret illico pennicillum, ac facere opus ggrederetur. Quamobrem ita ſtatuo, priuſquam*

Aliena ſcripta cur lectitanda.

Cuiuſdam alumni Michaelis Angeli mos.

*veniamus*

*ueniamus ad ſcribendum; abſolutiſſima quæque tantùm eſſe legenda, nec ſemel, ſed ſæpius, quia identidem iterata lectio librorum eorundem, ſi quidem erunt optimi, maiorem nobis afferet fructum, quàm illa per diuerſa uolumina leuis euagatio. Bononiæ cùm adoleſcens eſſem, audiebam aliquando Angelum Papium; cùmque mirarer, illum in Iuris ciuilis interpretatione loqui purè admodum, et Latinè, memini dici, conſuetudinem hanc eſſe Papio, ut omnes Marci Tullij Ciceronis libros, exorſus à principio, quotannis ſemel uſque ad extremum legeret clara uoce et elata, quæ facilè poſſet audiri. A Salmeronis inſtituto, et orationis uia, de quo iam eſt dictum, Benedicti Palmij ratio non multum abhorrebat, qui fuit etiam ipſe dicendi laude ſatis notus ætati ſuæ. Nihil enim afferebat comptum et expolitum; cumquè ad copiam rerum, quàm ad curam eſſet attentior, parum artis, doctrinæ multum in ipſius oratione cernebatur. Adiuuabat eum in hoc ipſo excellens memoria, qua Patrum auctoritates non paucis eorum uerbis referebat, aut uariabat ſuis, ſed paſſim, ac feliciſſimè ſanè recitabat, obſtupeſcēte populo, paginas fideliter totas, deinde ponderando uerba ſingulatim, illuſtrabat ea cogitatis animi ſui, dilatabat, et ſatis aptè explicabat. Acerrima erat actio, quæ tamen iucunditate non*

Angelus Papius I. C. M. Tullij libros quotannis legebat.

Benedictus Palmius Salmeroni ſimilis.

*careret.*

*careret. Nihil eſt enim quò magis afficiantur, atque permulceantur auditorum animi, quàm ſi ſentiant, alienis ſeſe verbis et oratione permoueri. Atque ratiocinari poſſumus in hunc modum; ſi mouent audita, placebunt etiam; et cùm placeant, neceſſe eſt etiam delectent. Neque ſuauia tantùm, ſed amara quoque ſenſum titillant. Ac ſicuti labores, et pericula ſunt pro voluptate magnanimo viro ac forti, qui contemnere commoda, et otium amet: ita fit in concione, vt libentiſſimè audiamus ea, quæ lacrymas eliciant, moueant dolorem. Erat autem Palmij tantus ardor, atque impetus in dicendo, vt eadem vi totam orationem et geſtu proſequeretur, et voce; poteratque tam id ipſum, quàm aliud quippiam à natura tributum, iuſta reprehenſione carere in viro, qui vultu, et animo natiuum quendam ignem præferret, ac fateretur. Cæterùm, dicendi, et agendi rationem illam haud quaquam ſequi omnes deberent. Variari namque formam orationis oportet pro rerum, et ſententiarum, et argumenti varietate; ipſique etiam oratori totius figura corporis in diuerſas illas facies eſt aptè conformanda. Et debet orationis vis, atque motus ſumma cum lenitate habere occulta quædam incrementa, tacitaſque progreſſiones, quas diſſimulet orator ipſe ſentire. Cauendum eſt item,*

Amara oratio delectat interdú.

Palmium imitari nó cuilibet tutum.

Vocis moderatio qualis.

*ne,*

*ne, ſicut in Antiſthenem, qui declamabat ſtrenuè, dictum olim fuit: vox noſtra tuba ſonum imitetur, qui, cùm aſperum et raucum tantummodo quiddam habeat, nec humano more ſit articulatus, quid ſignificare velit, ignoramus. In peroratione verò præcipuè, mea quidem ſententia, rectè fecerint concionatores, ſi dicent leniter, ac ſedatè, ſeque ſignificabunt eſſe plenos amoris ac ſancti deſiderij. Iam enim commoti eſſe debent auditores, eſtque locus ille repetendi, et commendandi tantùm ea, quæ iam animis accepere, ita vt memori mente condant omnia et ſeruent. Sed fortaſſe poſſent aliqui ſubdubitare, ne langueant orationis extrema, frigeantque, ſi circa finem defecerit ea vis actionis, quam in principio dicendi, ac deinceps in progreſſu viſi fuerimus adhibere. Horum timori, ac ſuſpicioni ſatisfactum erit, ſi doceantur non debilitari actionem, aut infringi, ſed augeri potiùs, et robur eam ſumere nouum, cùm dicitur grauiter, et conſideratè, daturque ſpacium auditori, vt rem totam probè intellectam demittere in animum poſſit. Demoſthenem certè tanti nominis illum oratorem animaduertimus id ferme conſueuiſſe facere, vt validiſſimum aliquod argumentum in finem vſque reſeruaret, ea nimirum arte, vt impreſſum illud in auditorum animis relinqueretur. Ac, ne qua ſub-*

Peroratio qualis debeat eſſe.

Demoſthenis artificium in peroratione.

*ſubeſſet fortaſse ſuſpicio, neve parari ſibi inſidias putarent auditores, admitterentque machinam libenter, quàm leniſſimè rationem explicabat; nihilque tunc dicebat augendæ rei, vel amplificandæ. Sed iam licebit, opinor, huic primo Libro finem imponere, quo ſatis eſt explicatum, quæ initia, quoſve progreſſus hac noſtra ætate minimè pœnitendos nacta fuerit Eloquentia; tota quoque concionandi ratio, et in eo genere diuerſa Maiorum noſtrorum inſtituta, quantum oportuerat, ſunt à nobis examinata.*



# DE SACRIS NOSTRORVM TEMPORVM ORATORIBVS

## *LIBER SECVNDVS.*

*PERDVCTA iam tandem in illud tempus eſt hæc noſtra diſputatio, quo tempore ſatis clara, ſatiſque potens erat Eloquentia; immo proceſſerat in id faſtigium, vt verè poſſimus affirmare, tantum fuiſſe nonnullorum in ea facultate ſplendorem, et gloriam, quantum, vel ad hominum admirationem, vel ad honores et dignitatem, vel ad fructum animarum aſſequi quiſquam poſſet. Alphonſus Lupus è Franciſcana Diſciplina ſeueriore primus omnium ita perturbauit atque concuſſit hominum animos oratione ſua, vt ex omni memoria paucos admodum* Alphonſus Lupus.

reperire poſſimus, qui cum eo videantur eſſe conferendi. Nimirum, huius hominis voce compulſi quamplurimi mortales abdicauere Mundum, et in ſacrata ſeſe Clauſtra contulerunt; quocumque nouus Apoſtolus iret, ad eum populi confluebant. Neque meßis hæc vberrima, tantique fructus fuere negotium vnius, vel alterius anni, ciuitatumque tantummodò certarum, ſicuti concionatorum ferè omnium impetus habetur; ſed toto vitæ ſuæ curſu ſemper, et vbique concionatoris admirandi ſuſtinuit nomen et famam.

Lupi dotes.

Satis cognoſci potuit in eo viro quantam vim habeat in concione publica ſanctitatis, atque virtutis exiſtimatio. Nam ipſe primùm omnium ſemper viſus eſt, atque ſpectatus in ſuggeſtu mentis imperturbatæ; iraſci numquam ille; numquam libertate vocis iniuriam vlciſci; non obiurgare contumelioſè; non perſtringere quemquam ex auditorum numero ſcommate vel aculeo. Hæc vbi fiunt, abrogant, et orationi fidem, et auctoritatem oratori.

Imperturbatæ mẽtis eſſe Cõcionatorem oportet.

Suſpicantur enim, illum eſſe animo turbidiore, et malè à natura informato, qui ſuas ipſe tantiſper cohibere perturbationes non poſſit, in ipſo maximè conatu emendandi alios, et perſuadendi, vt procul à perturbationibus abſint. Prætereà, nullum in eo pernicioſæ lectionis agnoſceres veſtigium; quæ vbi cernuntur et apparent

veſti-

veſtigia, non dici poteſt, quantum habeat ea res leuitatis, ac damni. Multi reperiuntur, in quorum oratione, etiam inſcijs ipſis, fragmina verſiculorum exiſtant, paßimque laſciuæ poetarum internitent imitationes, et quidam vanißimi carminis odor miſerè animum offendit. Diſplicent hæc omnia amaritudine quadam prudenti auditori, et graui, et docto; perſtringunt animum, ſtomachumque faciunt præclaris ingenijs; et oſtendunt, orationem illam ab intimo ſenſu nequaquam eſſe profectam. Sicuti enim eſt apud Græcum Poetam: non verba, ſed mores, animorum habenas tenent. Id ſpectauerat Demoſthenes, cùm ſuos ille ſæpe Deos inuocaret, ſtuderetque tota paßim oratione famam colligere probitatis et innocentiæ. Inde fit nimirum, vt ætas noſtra, quantum ego iudicare poſſum, nuſquam alibi magis ad viuum expreſſam benè moratæ orationis imaginem, quàm in Alphonſo Lupo ſit contemplata. Scilicet, in ipſo impetu et ardore dicendi, ſublatis oculis, imploraret auxilium è Cælo, atque ſupplici ſic voce vrgeret. Precor à te, Deus æterne, vt immitas mihi partem illius Gratiæ, qua ſum in hoc loco perfuſus aliquando, vt huic circumfuſæ concioni, rectam ad te commonſtrare viam poßim. Conuertendo ſic orationem, ſimplicißimo quodam, et antiquo more, perſuadebat

Verſiculis abſtinendum in cócione.

Mores tenent animorum habenas.

Lupi mos.

*multum, quia facilè poterant omnes intelligere: curam illi eſſe vnam in animarum fructu. Nihil inane illius conciones habebant; nihil erat in verbis, et vultu, geſtuque toto, quin videretur ſpirare pietatem atque religionem.*

Lupi habitus.

*Tunica non horrida ſolùm erat ei, ſed cultu etiam neglectiore, quàm pro communi Ordinis illius diſciplina; ad ſolitas verò humani capitis neceſſitates, non linteolum ille, ſed laneum pannum afferebat, atro colore, textu tam aſpero ac duro potius vt eſſe cilicium videretur. Nec exiſtimare debemus, ei prudenti concionatori, ac pio, ſine magna ratione placuiſſe cultum, atque mores eiuſmodi. Valent enim mirificè ad perſuadendum hæc indicia rigoris, et aſperitatis; ac tantam habet vim apud auditores illa de concionatoris moribus exiſtimatio, vt magnopere putem eſſe cauendum oratori Chriſtiano, ne quam ſuperioris ſuæ vitæ labem vllis inter dicendum emanare indicijs patiatur.*

Benè moratam eſſe orationem oportet.

*Hoc eſt, ne innuant, ſpectaſſe comicas actiones aliquando ſeſe, atque in reliqua vita fuiſſe diſſolutos; neve tacita quadam oſtentatione ſignificent, feroces olim, atque ſanguinarios animos ſibi, et memores iniuriarum, proferendo ſcilicet nonnulla quæſita aſperitatis verba, quæ vim, et iras, atque dulcedinem vltionis nimium expreſſè repræſentent populo. Fuerit verò longè triſ-*

*tior illius inſania, ſi quis ita de ſe loquetur, vt concio ſuſpicari poſſit, hominem olim amaſſe, nec iam abeſſe penitus ab ineptijs atque deliramentis eiuſmodi. Quorum igitur oratio ſimile quippiam habebit, carebunt trium illarum partium vna, quas ad perſuadendum eſſe neceſſarias docuere veteres magiſtri. Sanè Lupus, non ſolum in ſuggeſtu, ſed, quod fortaſſe pluris refert, in omni vel actione, vel loco certiſſima dabat ſigna perfectæ virtutis. Toto quadrageſimæ tempore, cùm in epiſcoporum ædibus habitaret, pro cella ipſi erāt ſtoreæ, quas in angulo cubiculi componebat in tecti formam; ibique nuda ſedens humo, vel ſubſtrata nonnunquam ſtorea, meditabatur, aut ſcribebat ea, quæ dicturus eſſet, Hominum verò colloquia, et congreſſus ita fugiebat, vt per illos quadraginta dies, cum nemine ferme ſermonem conſociaret. Extra pulpitum itaque ſolitarius agebat, tam felix in decori ſtudio et cura, vt Principi viro, qui acceſſerat aliquando ad monaſterium, petieratque, vt ſecum eſſet ad breue tempus, dixerit, ignoſceret ſibi; non enim id à Deo munus habere, vt hominum conſuetudine commodè ſatis vteretur. Turpe eſt omnino concionatori, velle inter homines eſſe comem et iucundum; cum laicis epulari libenter; iungere cum plurimis amicitiam; immiſceri negotijs; per alie-*

Lupi ſeueritas in victu.

Lupus breuis alloquio.

nas

*nas domos oberrare. Coguntur etiam eorum notare miſeriam, qui tamquam velint prodeſſe quamplurimis, miris cogant artibus auditores; in id ſibi quærunt aduocatos, et potentioribus quodammodo tendunt retia, atque adeo præcipua captant ambitione feminas illuſtres, vt eæ ſecum alias in concionem trahant. Id nihil eſt aliud, quàm vel magnificè ſentire de ſe ipſo, ſuſpicionemque præbere leuitatis ad inanem gloriam, et ſuperbiæ, vel etiam fateri humilem et abiectum animum in eo, quòd vereri videantur, ne, ſi non adhibuerint artes haſce peruerſas, ſoli relinquantur in ſuggeſtu. Erat verò cum has innocentia Lupi, tanta coniuncta vis pietatis, atque tantus impetus dicendi, vt ex omnibus partibus eximiæ charitatis, optimique ſtudij flamma illum eſſe ſuccenſum appareret. Pars ea virtutum ipſius hanc in concione vim habebat, vt ſicut concaui ſinus vocem, quam accepere, multiplicato referunt ſono, ſic auditores pari ardeſcerent igne, ac tanta deſcenderet in omnium animos flamma, quanta cerneretur in concionatore. Sunt item auditores, veluti ſpeculum oratori, in quo ſuos ille vultus atque lineamenta omnia poſſit intueri, ſiue dignitatem et elegantiam, ſiue fœdum ac deforme quiddam habeant. Res autem erat in Lupo tam euidens et manifeſta, totis vt inter-*

Lupi impetus in dicendo.

*dum*

dum artubus intremiſcentem eum adſpiceres, collacrymantemque veris lacrymis, aut etiam ea reſolutum teneritudine, quæ vocem includeret, vixque poſſet ille verba pronuntiare. Accidebat etiam huic Diuini ſermonis internuncio nonnumquam illud ipſum, quod in oratore profano miratos fuiſse veteres accepimus. Nam ſicut meditanti illi, priuſquam ad dicendum veniret, ita inflammabantur oculi, vt igneo quodam fulgore collucere viderentur: ſic noſter hic poſt longas in cella moras, egrediebatur inde tamquam ab camino flagrans ardenſque mirabiliter. In aſcenſu verò pulpiti, velut alienato ab ſenſibus animo, cernebatur; emicabant in pedibus nudis, et fronte quædam venæ turgidiores, non ſecus atque ſi facibus intus vreretur. Hoſce tamen animi motus admirabiles, et inuſitatos nec ſemper experiebatur ille, nec aſsiduè, nec æquabili ardore, poteratque aliquando videri diuerſus à ſe ipſo. Nec ea inæquabilitas, quod fortaſſe aliquis opinaretur, obſtabat famæ, quam apud omnes ingentem obtinebat, ſed potiùs augebatur in hunc modum admiratio viri, cùm ſcilicet appareret, extrema illa non fieri viribus, et naturæ conſuetudine, ſed inſtinctu tantùm, et ope Diuina.

Lupi teneritudo & lacrymæ.

Lupi meditatio.

Lupus interdum ſibi diſpar.

Concionis interim apparatus cum anxia, et perpetua fiebat ſolicitudine, neque legendo tantùm, ſed,

ſed, quod pluris eſse iudicamus, multa, et efficaci precatione Diuinam opem implorando. Tunc ſcilicet audiebantur illius ſuſpiria, ducendoque ſpiritum ab imo pectore, fremebat interdum ſubmiſſo quodam mugitu, qui, licet ab eo comprimeretur, erumpebat ita, vt facilè contubernales audirent, ſcirentque inde, futurum eſſe, vt proxima concione, ſolito vehementius fulminaret ac tonaret. Hic tantus ardor in precando, remittebatur interdum, quòd cùm accideret, ingenuè accuſabat ipſe calamitatem, aiebatque vltro matutinam eius diei precationem non commodè ſucceſſiſſe ſibi, nec mirum ideo, ſi langueret oratio ac frigeret. Precationi materiem et argumentum poterunt magno ſuo fructu concionatores ex iiſdem ſumere rebus, de quibus ad populum erunt dicturi. Id erit quaſi nouum partum edere, vel concipere, vel iam antea conceptam animare concionem, quæ fortaſſe foret emortua, ſi precatione deſtitueretur. Quomodo autem ipſi poterunt concitare ſe ipſos, niſi precibus accenſis id à Deo munus expoſcant? Pace multorum dicam id, quod ſentio. Deberent omnes quicumque concionalem hanc artem factitant, plurimum temporis impendere precationi, non ſolùm, quia pertinet ea res ad varias vtilitates auditorum, ad fructum ipſius concionatoris, ad Dei gloriam, ſed etiam, quia

Lupi fremitus, & ſuſpiria.

Precandi ſtudiũ in Concionatore.

*quia videtur id ipſum eſſe inter naturalia inſtrumenta perſuadendi quidquid velimus. Oratoris huius eloquentia nihil hauriebat ex vano, ſedatum et graue quiddam habebat: verùm, vbi res poſceret, concitatiſſima eadem ferebatur, quas diuerſas inter ſe partes, pauci ſunt, qui coniungere laudabiliter ſciant. Exiſtimant enim omnem in vociferatione mouendi vim eſſe collocatam.* Vociferatio inanis. *Non multa complectebatur oratione, ſed, quæ ſibi propoſuerat ad dicendum, ea ſcitè admodum amplificabat; immorabatur rebus, et quæcumque ſubeſſent apta permouendis animis, perſcrutabatur, eliciebatque diligenter. Et quamuis tanto ſpiritus feruore nonnumquam alienaretur; nullæ tamen interim erant ineptiæ, nulli diſſoluti mores ac fœdi, qualia ſpectacula noſtri ſæpe concionatores exhibuere. Venit in ſuggeſtum eius ingenij concionator aliquando, qui cùm de Iudicio loqueretur extremo, velletque terrores illos vltimos intentare concioni, ſoccos illico detraxit ſibi, atque eos ingenti ſtrepitu collidens, alta ter voce,* NVMQVAM *illud horrificum ingeminauit, eumque dicendi fecit finem. Fœda ſanè res et abſurda.* Concionatoriæ vanitatis exēplum. *Non ſatis eſt enim oratori Chriſtiano, ſi præferat innoxios, candidoſque mores: ſed præferat quoque liberales atque ingenuos oportebit. Nam ſemper auditores auertunt ſe ſe magis ab eo, cuius*

in actione cernatur ſtolidi aliquid, et praui, quàm vbi compoſita laudabiliter omnia conſpiciantur. Et quia, velut animi ſimulachrum eſt oratio, ideo nihil agreſte, nihil inurbanum aſſumet. Cauit ſemper etiam illud prudentia Lupi, ne ſeſe committeret in ea pericula, quæ temerè adeunt illi, qui de popularibus animis omnia ſibi pollicentes, iubebunt ſubitò illos, vel tollere clamorem indicem pœnitentiæ, vel inter ſeſe complexari, vel dextras in altum erigere, cùm nondum ſcilicet auditores in id permotos animos habeant. Fuit etiam haud ita pridem ex concionatorum turba parum felix homo, qui, cùm in medio orationis curſu pungere animos, et vim commouere lacrymarum vellet, dixit, cedere ſe pulpito ſimul, et vrbe, iturum aliquo, vbi neque videret talia, nec audiret, abibatque tacitus ipſe ſecum expectans, ſi fortè ſublato protinus clamore reuocaretur. Sed imperita multitudo, cui tamen id fuiſſe deforme factum videbatur, ſtetit immota, et tacita; coactuſque miſer ille redire, nemine reuocante, quoquomodo concionem illam ſuam abſoluit.

Animi effigies oratio.

Alius verò quidam, ſpectaculo etiam fœdiore, delatum ſecum pugionem ad permouendos animos vltro deferebat in pectus, cùm prius tragica quædam in id ipſum, et funeſta dixiſſet. Id non eſſe voluntarium, atque ſincerum facilè auditores intel-

Aliud exemplũ vani Concionatoris.

*tellexere, protinuſque ſunt interpretati commentum, et multò antea paratam artem. In genere hoc actuoſo ne illud quidem probauerim, quod plerique nuperrime factitauere, cùm de acerbiſſima Chriſti morte concionarentur, exuendo ſcilicet amictum lineum exteriorem, et nectendo ceruicibus funem. Non decebat enim in myſterio tam ſolenni ſacros ornatus abijcere, ſimulque geſtamen illud, capitis quodammodo pœnam repræſentat. Indigna ſanè ſpecies concionatore Verbi Dei, altaris adminiſtro, paſtore populorum.*

In actuoſo genere quid cauendum.

*Acerrimum, et extremum in Lupo fuit, fulgidam ex ære Crucem tenere manu, quam ferme pectori affixam tenebat; cum ea ſcilicet Cruce loquendo quàm tenerrimè, ſimul ad populum identidem conuertendo ſermone, accendebatur incredibiliter. In eo autem alloquio tanta cernebatur pietas ipſius erga Crucem, tantumque deſiderium, vt poſſet facilè quilibet prudens rerum æſtimator animaduertere, non tam ad populi fructum, quàm ad eliciendum ex animo dolorem, illud ſalutare ſignum adhiberi. Secuta poſtea nonnullorum imitatio, tentauit inutiliter quod Lupo ceſſerat feliciſſimè. Neque enim tantum habent intimi ſpiritus, et caloris, quantum requiritur, vt illa quoque concaleſcat externa ſpecies, quæ frigida ſic et exanguis, torporem quendam refert.*

Ænea Crux in manu Lupi.

Lupum infeliciter imitati nonnulli.

Myſtria nonnũquam irridétur.

*Die, quo Chriſti mortem pro ſalute noſtra obitam anniuerſario luctu recolit Eccleſia, concionatorum aliquis iuſſerat parari ſibi ligneam maioris formæ Crucem omnibus inſtructam ferramentis, quæ Liberatorem noſtrum furore Iudæorum affixere ligno. Ea cùm eſſet allata, cœpit vnumquodque ferramentum in manum ſumere, et exprobrando peccata concioni, prout ipſa Crucis myſteria materiem præbebant, eiaculabatur in populum ſingula; donec totam ſcilicet Crucem exarmauit. Potuit ea res ancipitem habere ſignificationem; nam, aut illa ſacra tollebantur inſtrumenta, tradebanturque populo, vt perenne culparum monumentum apud animos forent, aut ſic tollere, ſic tradere, contemptum quendam ipſarum rerum habebat. Neque fuerim aſſenſus eorum rationi, qui ſtatuunt in magnarum quidem vrbium frequentia nihil oportere tale fieri, ſed per municipia, et obſcuri nominis pagos, nullo modo debere prætermitti, nimirum, vbi rudes agreſtium hominum animos, et velut alto demerſos ſopore res magis illæ excitare poſſint, quàm vis vlla verborum. Reperiuntur enim etiam in agris aſtuti homines et malitioſi, qui torquere ſciant in ludibrium ea, quæ ſic fiunt, nec ſolùm irrideant ipſi nouas illas artes, ſed vltro quærant ſocios, paulatimque tota vicinitate de Sanctiſſimis*

*mis illis myſterijs loqui iocularitet agreſtes inſueſcant. Erit autem tantò plus offenſionis in eo negotio, ſi falſo quippiam erit adſimulatum ita, vt vel ficta vox audiatur, vel ſe ſe commoueat imago, vel lacryma, vel cruor manet occultæ artis atque machinationis ingenio. Numquam enim ita poterit inuolui ac tegi machinamentum et artificium illud, quin poſtea detegatur. Quod vbi fuerit detectum, exiſtet in animis falſa quædam opinio, quæ poſſet in tantum excedere temeritatis ac damni, vt etiam vero et ſancto demeret fidem. Fides certè non habetur ei, quem fingere vel comminiſci quidquam ſciamus, potiùſque præſtigiatores eos, aut circulatores eſſe, quàm diuini Verbi magiſtros arbitramur. Ardor igitur huiuſce concionatoris, et quidquid eſt illud, quod nimiùm communi iam nomine, affectum appellamus, non tam vlla quærebatur arte primò, dein proferebatur, quàm ita inſidebat animo, vt etiam inuito ipſo, vel inſciente, oſtenderet ſeſe, atque efferret tum in corporis motu, tum in verbis, tum in cogitatione ipſa; facilèquè populus intelligebat, partem minimam eſſe pietatis, quæ conſpiceretur in illa publica luce. Modò verborum erant fulgura, modò fragor vocis, modò geſtus inexpectatus, quibus indicijs, flammæ pectoris identidem emicabant, nec adiuuante ipſo,*

Affectus non arte quæſitus, ſed naturalis.

*nec*

*nec ſentiente. Quinimmo, videbatur ſæpe vim afferre ſibi, vt eos impetus cohiberet, qui occupabant animum primò, deinde, victis impedimentis, erumpebant. Apparebat inde, plenam eſſe veritatis orationem, abſque fuco, vel artificio, ſumma dignam fide, dignam, quæ omnibus eſſet admirationi. Ex omnibus autem animi motibus, quos hominum generi natura tribuit, ſummopere adamauerat ille timorem, eumque ſecum ipſe cuſtodiebat acri cura, atque, vt auditorum pariter animos magno, et aſsiduo percelleret timore, vehementer adlaborabat. Fortaſſe ita ſtatuere poſſumus, inter omnes animi perturbationes, quæ poſſunt ad perſuadendum vtiles eſſe oratori Chriſtiano, eam, quæ manat ex alicuius expectatione mali, diciturque timor, eſſe validiſsimam, et plurimum habere virtutis, ſi quidem communes animorum habitus intueamur. Timor eſt veluti frænum atque vinculum iniectum peruerſæ hominum naturæ, omnibus accommodatum ita, vt eum perfecta virtus amet, recipiant culpæ, atque adeò impotens ille amor noſtri vergat illuc et inclinet. At in hoc ſacro concionum genere præcipua vis erit argumentorum, quæ poterunt auditores impellere ad timendum; cumque latè campus pateat, debebit ſemper orator hunc vrgere locum, inſiſtendo præceptis illis, quæ profana veteris elo-*

Timoris affectus.

quentiæ

quentiæ artifices tradidere. Incutietur animis timor, ſi demonſtratum erit, malum illud, quod proponemus, nec leue fore, nec ſine malorum aliorum comitatu; quæ mala et damna non longo diſtent temporum, aut locorum interuallo, ſed ex vicino conſpiciantur, atque immineant; ſi grauia, et horrenda ſigna rerum imminentium proponentur; ſi videbuntur ab illius pendere nutu, qui plurimum nocere poßit, et velit. Celerrimè fiet enim quod et poteſt fieri, et poteſt ab eo, qui cum facultate coniunctam habeat voluntatem. Afferunt illi quoque timorem, qui vi ſua ſtrauere alios validiores multò, quàm ſimus ipſi; nam tantò facilius vis eadem res noſtras afflictabit. Ex humanis erroribus timentur admodum illi, quorum nec facile remedium fuerit, nec in noſtra ſitum manu, auxilia verò, tum ardua, tum anguſta. Horreſcit animus ob eos caſus, qui nos olim ad miſericordiam allexere, cùm alijs accidiſſent; ac tantò magis inhorreſcit, vbi videamus illata nonnullis ea mala, quæ nec timuiſſent vnquam, nec in id tempus, idve negotium expectaſſent, quo tempore, quove negotio ſunt conflictati. Ea verò ſunt in præcipuo metu, quæ, cùm immineant, latent tamen; nuſquam enim poterunt opportunè præcaueri, noſque ſemper hærebimus in ſuſpenſo. Magnos oratoris verba timores

Quomodo timor incutiatur animis.

Quæ præcipuè timeant homines.

*res tota facient concione, ſi perſuaſum fuerit auditorum animis, poſſe ipſos pati, atque ob eam maximè cauſam poſſe, quia paſſi fuerint alij, quorum viribus, et potentiæ ipſorum æquiparari tenuitatem minimè liceat. Ideò memorabuntur vtiliter exempla calamitatum alienarum, vel ex propinquo repetita, vel ex longinquo. Hos locos omnes luculenter ac fusè tractauere ſacræ Litteræ, ſicut omnes ſciunt, vberiùſque etiam tractauere, quàm profani veteris Philoſophiæ libri, quos video, motum hunc animi, qui timor dicitur, leuiter admodum tetigiſſe. Arbitror ego, Lupum, cùm ſibi concionandi magiſtros elegiſſet Prophetas, hanc inde conſuetudinem hauſiſſe populum exterrendi denuntiatione malorum, vt ipſi quoque fecere; aiebatque Lupus, eos maximè legendos eſse concionatori, nimirum, quia veluti regnum ætate ſua tenuerint in concionando, poßintque magiſtri perſuadendi vel optimi omnium eſse. In reliqua diuinarum Litterarum parte magnopere verſatus erat, neque locos afferebat eos, qui nimio vſu communes et peruulgati iam eſsent, ſed eximium et lectiſſimum quemque ſequebatur, neque hos, vt plerique concionatores, euoluebat curſim, ſed anxiè perpendebat omnia ſuis momentis, eorumque locorum vim, atque ſententiam examinabat. Si*

Lupus Prophetas lectitauit.

quis

*quis erit concionator, qui tranſmittat negligenter et incurioſè ſacrarum Litterarum locos, decantatiſque tantummodo ſententijs vtatur, vix fieri poterit, vt illius oratione commoueantur auditores. Iam enim inſueuere locis illis, qui nec vllum in ipſorum animis aculeum relinquunt, nec hærent vtili memoria, ſed ferme ſine auditorum ſenſu prætervehuntur. Itaque Lupus etiam in eo veram eloquentiæ faciem, nonnullaſque partes eius intimæ facultatis præſeferebat; quamuis illi tantùm, qui multum intelligerent in eiuſmodi rebus, poſſent eam artem animaduertere. Adeo nimirum erat tecta ſimplicitatis inuolucro; qua ſimplicitate videretur ille contemnere omnia, quæcumque ad expoliendam orationem pertinerent. Memini legiſſe, morem hunc fuiſſe Demoſtheni illi, qui ſummam eloquentiæ laudem eſt adeptus, vt vituperaret multis locis eloquentiam, atque profiteretur in concione, ſe ſe locuturum eſſe quàm ſimpliciſſimè, cauentem nempe ſolitas oratorum artes, atque contemnentem nominis illius gloriam, ſi tantummodo poſſet ea, quæ forent vtilia, et vera, perſuadere. Ac de ipſo Lupo, cùm ille in vrbis noſtræ Templo maximo concionaretur, dixit aliquando Sanctus Carolus, nihil eum habuiſſe ferme rerum earum, quæ ſpectari ſolerent in perfectis oratoribus, et partes tamen*

Demoſthenis artificium.

S.Caroli de Lupo ſententia.

*men oratoris vniuerſas habuiſſe. Si rigidè ac ſeuerè ipſum eloquentiæ nomen exigeretur, non erat eloquens Lupus, nec doctrinæ multum, nec ordo certus, nec verborum nitor elucebat in illius oratione, nec ipſe gratiæ ſatis habebat. Ac noua tamen, et inuſitata quadam via gratiſſimus erat auditorum animis, vel eloquentiæ laude, vel admiratione doctrinæ, ordine quoque totius orationis, et ornatu. Adeo poterat ſpiritus intimæ pietatis explere ſi quas haberet lacunas; nutuque fiebat diuino, vt partes illæ, quæ tam neceſſariæ ſunt oratori, confunderentur ita et miſcerentur, vt alteram ab altera dignoſcere non poſſes. Auebit aliquis fortaſſe cognoſcere, quæ fuerit forma ſtudiorum ipſius. Ego verò faciam libenter, vt quænam fuerit, exponam. Cùm enim ex eo iucundè quæſiuiſſem adoleſcens, narrauit ipſe mihi, cœpitque fere in hunc modum. Ego, aiebat ille, poſtquam vtriuſque philoſophiæ conſueta ſpatia confeciſſem, inſtinctu fortaſſe diuino, cœpi veteris, et noui Teſtamenti libros quàm attentiſſimè peruolutare; cùmque aliquoties eos ad extremum vſque perlegiſſem, nouam inſumpſi curam enotandis locis, quorum lectione præcipuè affici ſentiebam animum meum; videbanturque illi firmiùs et altiùs inſidere, quàm cætera; meaque ſic ferebat opinio, promptiores, atque com-*

Lupi narratio de ſtudijs ſuis.

*mo-*

modiores eos ad vſum fore mihi, ſi qua aliquando incidiſset occaſio. Tunc ſtatui ſingulos mandare memoriæ, prout eos è ſacris Litteris delibaſsem. Ita breui eſt effectum, vt maximam eorum copiam animo comprehenſam haberem, poßemque, ſi res ita ferret, recenſere ſingulatim. Ea mihi deinde tam vtilis fuit induſtria, vt diuino potius, quàm humano conſilio ſuſceptam arbitrarer; idque demum exitus docuit. Nam, cùm poſtea venißem ad concionandum, animaduerti ſæpe, niſi iam antea didiciſsem, defuturum fuiſse mihi tempus ad ea perdiſcenda, quibus vti neceſse haberem; atque ad varias argumentorum opportunitates commodè et aptè in mentem veniebant. Neque vis vlla erat facienda, vt quaſi contorquerentur ad rem ipſam; ſed, cùm omnia condita eßent in memoriæ theſauro, depromebam inde quæ vellem, et ea ſtatim offerebant ſeſe, quibus ſententia ſubeſse acrior videretur. Neque in eorum interpretatione vtebar ipſe meo nimiùm iudicio, ſed rectà ibam ad eos auctores, quorum celebre nomen eßet in litterarij maximè ſenſus explicatione. Horum igitur auctoritate, cùm in eo confirmarer, quod antea videbar intellexiße, viuidior atque ſecurior ad populum erudiendum fiebam. Prophetarum autem vaticinia, quò penetrarem altius, animaduerti, le-

gendos prius eſſe mihi quatuor hiſtoriæ Regiæ libros, vt ſcilicet notato temporum ordine, cognitiſque caſibus illius ætatis, admiranda cæleſtium concionatorum dicta rectius intelligere poſſem. Alphonſus hic Lupus, quod ſciam ego, nullos otij ſui fructus, nullum ingenij monumentum reliquit, præter commentariolum in diuinum vatem Iſaiam, quem ab ipſo acceptum ſeruari iuſſimus in hac Ambroſiana Bibliotheca, diuulgandum aliquando in gratiam eorum, qui ſtudijs hiſce delectantur. Poſſet aliquis fortaſſe mirari, cur nam ille, neque doctus mediocriter, et ardens diuini ſpiritus flamma, non quæſierit ſibi iuſtum aliquod argumentum ſcribendi, vulgata multorum cupidine, qui nequaquam tantam hodie aſſequi laudem poſſunt, quantam ille fuiſſet aſſecutus. Arbitror hanc fuiſſe cauſam, quia nimirum animaduerteret, proprium animi ſui bonum, quod munere poſſideret diuino, facultatem eſſe concionandi, atque in ea voluiſſe facultate collocare curas et labores, nihil ab ea deflectendo, in quam ſeſe vocari diuinitus intelligebat. Fortaſſe prævidebat etiam, quod ipſe non faceret, fieri olim ab alijs poſſe, qui verò parem in dicendo vim diuino fauore conſequerentur, haud ita multos fore. Certè ille cùm incidiſſet in eum morbum, qui corpus ipſius eluxauit, fer-

Cur nulla reliquerit monumenta.

*me ſub vitæ finem, ita eſt locutus, vt hoc ipſum aliquo modo ſignificare videretur. Ego ſatis agnoſco, aiebat ipſe, quemadmodum non rectè fuerim vſus concionandi munere, quod obtinueram à Deo; atque ea videlicet eſt cauſa, cur nunc omnis mihi vigor et robur omne ſit ademptum. Deberent hæc verba homines illos erudire, qui elatos animi ſui ſenſus ſequuntur in concionando potiùs, quàm internos auræ cæleſtis afflatus, atque ita perſuaſum habent, eſſe factos ad omnia, valdeque multorum animos ipſorum oratione commoueri, cùm tamen alioqui ſatiùs foret illis obtinere ſilentium, et concionantibus alijs aures præbere, ne ſcilicet ſeque, et auditores inani ſua oratione perditum irent. Hactenus ea ſunt dicta de concionatore Lupo, quæ poßint facilè demonſtrare ſummum illum fuiße ſui temporis oratorem, atque talem omnino, qualem fortaſſe neminem ætas illa videatur habuiſſe. Sed ſententiæ illius meminiße oportebit, quæ magnus dicendi artifex pronuntiauit olim; vt Eloquentiæ genera ſint diuerſa, ita poſſe multos eadem ætate reperiri magnos oratores, qui omnes in ſuo quiſque genere abſoluti ſint, et magnopere commendati. Habuit hæc ætas Franciſcum Panicarolam, qui exceßit fama ſui nominis Italiæ fines, domi, foriſque clarus fuit. Congeßerat in eum tantum* Franciſcus Panicarola.

è

*è ſuis muneribus Natura fauore largo ac prolixo, vt minimè dubitari poßit, quin ea primas tenuerit in hoc oratore, longèque ſupergreſſa induſtriam et artem, quaſi petere ſibi dominatum videretur. Nam, quidquid gratiæ, quidquid venuſtatis fuerat alijs elargita, id omne in hoc Panicarola coniunctum cernebatur. Frons, oculi, vultus, dignitas oris, actio, natiua verborum copia, quæ non poſſet exhauriri, ſuauitas in pronuntiando plena leporum omnium, cunctis erant admirationi; ideo fama eum eſt ſecuta portentoſæ memoriæ, quæ tamen contigerat Naturæ ſorte, non ſicuti plerique arbitrabantur, artis inſtrumento. Erat autem, non tam rerum memoria, quàm verborum. Nam ſuas ipſe conciones ediſcebat adeo lenta diligentia, et minuta, vt ſingulis impenderet horas admodum quinas, ne verbum excideret vnum, ſicuti mihi narrauit alumnus ipſius diſciplinæ charus inter paucos. Quod verò manauerit ea fama, locorum, et imaginum arte Panicarolam vti, quò promptiore foret memoria, præbuere locum ei ſuſpicioni frequentes illius de hac arte ſermones, et complexus artem libellus, quem ediderat. Cæterùm, neque adhibuit illud inuentum ipſe, neque facilè potuit adhibere, cùm ingenti admodum concitatione necteret verba, miraque celeritate pronuntiaret.*

Panicarolæ dotes.

*At-*

Atque exiſtimo ego, curam illam anxiam in verbis ediſcendis, cauendoque, ne diceret vna voce plus, aut minus, cauſam fuiſſe, ne magnopere illius oratio animos auditorum penetraret. Sanè credunt multi poſſe iuuenum orationem fieri meliorem, ſi ſcribere prius inſueſcant, deinde ſcripta mandare memoriæ, poſtremò pronuntiare quæ ſic ad verbum edidicerunt. Id confutare penitus atque reijcere nequaquam ego in animo habeo; fuit enim grauiſſimorum virorum opinione confirmatum. Sed maiorem fortaſſe fructum ea res haberet, ſi deſcribendo breuia quædam capita rerum inuentarum, conarentur ex eo ſcripto dicere quàm commodiſſimè, modumque dicendi ſecum ipſi diligenter excogitarent; item, ſi ſemel, iterum, atque tertiò tentarent eadem explicare lectiſſimis verbis, atque in pronuntiando ſtuderent accedere quàm proximè, non ſolùm ad prouiſam iam antea ſententiam, ſed ad voces etiam ipſas, quæ principiò in mentem veniſſent. Tum vbi per aliquot annos fuerit concionatus, poterit etiam in ſcribendo tentare ſuas vires, et experiri, num ſcribere poſſit ea, quæ viri excellentes, ac præditi ſummis ingenijs legant libenter; neque in eo periculo, ac rudimento credet ipſe nimium ſibi, ſed conſilio fidelium amicorum vtetur, antequam longiùs procedat. Tutiſſima ad Eloquentiam via.

cedat. Id autem ſuademus ob eam cauſam, quia ſicuti principes artis tradidere, dicendo fingitur ſtylus, ipſum verò dicere, niſi antecedat exercitatio diuturna, ſcatet vitijs, languet, atque ſerpit humi; totidemque vitia neceſſariò in ſtylum manabunt, neque laudabile quidquam fiet. Quòd ſi pergat aliquis dicere ad eum modum aliquandiu, et ſcribere ſine cura, non dici poteſt, quantùm damni ea res ingenijs ſit allatura. Nam breui tempore peßima illa ratio parem vtique habitum dabit, efficietque, ne rei alicuius præclaræ guſtum habeant homines, neve vlterius in dicendi, vel ſcribendi laude progrediantur. Diſpari ratione, longèque maiore fructu, ſi quis incœperit ab ipſo conatu rectè dicendi, faciliùs in omnes partes poterit conuertere ſeſe, multiplicesque ſtyli vias ſequetur; ſimul capiet experimenta ſui, tantumque temporis conſumet, probatißimum quemque relegendo, quantum inutilis, et præmatura illa cura ſcribendi fuerat ablatura. Etiam illud experiendo, ſenſere homines dictione magis exercitati longa, quàm ſtylo, et memoria, quemadmodum in carmine pares numeri, qui concludunt verſus, extorquent interdum ex animo pulcherrima, et grauißima ſenſa: ſic orationis impetu, et quadam neceßitate loquendi fieri, vt ſe ſe vincat ingenium, vi ſua maius exiſtat, explicet-

que

*que verbis ea, quæ ſuo in receſſu multa commentatione non inueniſſet. Atque ſanè fit in hac arte dicendi, quod dictator olim Cæſar magnì referre dixit in bellis ad victoriam obtinendam, ſi nimirum inirentur prælia vehementi quodam impetu, quem non facilè ſuſtinere hoſtes poſſent. Viſus eſt Panicarola vergere prope ad eam formam orationis, quæ propria fuerat Flammæ, quamuis in eo genere multum etiam exceſſerit. Abundabat ille nonnullis ornamentis, quæ ſunt oratorum communia et nota, ſtatimque totum artificium ante oculos erat; illud enim non in ſinu abditum, vt ferè apud antiquos, ſed promptum erat in manibus, et fronte, ita tamen vt plurimis, et multitudini præſertim placeret. Ac poſſem fortaſſe clariſſimi verbis oratoris indicare, quænam fuerit huius eloquentia. Marcus Tullius, cùm de Demetrio Phalereo iudicium ferret, ſcripta hæc reliquit;* Hic primus inflexit orationem, & eam mollem teneramque reddidit; & ſuauis, ſicut fuit, videri maluit, quàm grauis, ſed ſuauitate ea, qua perfunderet animos, non qua perfringeret; tantum vt memoriam concinnitatis ſuæ, non quemadmodum de Pericle ſcripſit Eupolis, cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum, à quibus eſſet auditus. *Non fuit*

Cæſaris dictum.

M. Tullius lib. de Clar. Orat.

*K* *vtique*

*vtique primus Panicarola, qui hanc dicendi viam ingrederetur, ſed nemo magis elaborarat in genere illo compto et amœno, cui nimiùm etiam fortaße deditum fuiſſe ipſum aliquis exiſtimaret. Erat orator ſanè grauis, immo ſplendidus, et elatus; videbatur tamen plus habere placidi et iucundi, quàm rigidi ac ſeueri; potiùſque in hanc partem inclinare, quàm in illam. Sed tantum erat in eo venuſtatis et gratiæ, vt qui ſtuduere ipſum imitari, ne mediocrem quidem in eo conatu aſſequi laudem potuerint. Lateribus erat firmißimis, et longos verborum ambitus vnica reſpiratione comprehendebat. Itaque, non rotundo ſolùm ore, quod vetus auctor ad laudem retulerat, loquebatur, ſed tanta velocitate ſuas ille verborum comprehenſiones decurrebat vno ſpiritu, prorſus vt offenderentur aliqui, memores, Æſchinem in eo reprehenſum olim à Demoſthene, quia iuſtis interuallis ille non reſpiraret. At quia naturam in dicendo ſequebatur ducem, non præcepta artis, qua foret in eam eloquentiæ gloriam euectus; ideo poterat dubitari, num, ætate ingraueſcente, fuerit in concionum laude magnopere proceſſurus. Certè eſt animaduerſum pubeſcentem eũ auditum fuiße magna cum omnium admiratione, quæ virum eſt proſecuta, non tamen creuit vnà sũ annis; aiebantque nonnulli, qui conciones illius ex-*

Panicarola lenis, & placidus in dicendo.

Horat. de Arte Poet.

Demoſth. orat. de Corona.

Panicarola qualis potuerit eſſe in ſenectute.

*extremas audierant, ſi ei contigiſſet, vt ſenectutem adipiſceretur, euenire fortaſſe potuiße, vt, amiſſo iam ætatis flore, nequaquam tanti concurſus ad eum fierent. Verùm ego ſic ſtatuo, quamuis ea non fuerint incrementa, vel famæ, vel eloquentiæ, quæ curſum ætatis æquarent, potuiſſe tamen accidere, vt reputans ille vergentes iam annos, qua erat prudentia, et ingenio, nouam dicendi rationem iniret, canoſque ſuos ornaret etiam quadam orationis ſenectute. Multum habuere celebritatis illius exordia, nec immeritò, propter lumina, et peregrinos ornatus ingenij, qui videlicet in illis emicabant. Sed imitatores, et aſſeclæ ſecuti nimiùm infeliciter eam incipiendi normam, vno tenore ſemper hæc principia ducebant ab aliqua ſimilitudine, quam iam aſſuetæ aures illico præſentiebant, eratque tota ſtatim concione ſimilitudinis eius expectatio, quam cum ingenti venire faſtu, et pompa verborum ſcirent. At non ita veteres conſueuere; ſemperque vitium habebit exordium, et alia quæcumque pars orationis, vbi trita iam appareat conſuetudo. Oportet enim oratorem à communi recedere conſuetudine et vſu. Oportet etiam orationem initio noſtram eſſe verecundiorem, et quodam rubore ſuffundi, veluti cùm hoſpes ædes ingreditur alienas. Planè videmus, externum* Panicarolæ imitatores.

*hominem ad primos ingreſſus, et oculis, et voce, totoque corporis habitu compoſitum eſſe præter herilem ritum atque conſuetudinem illius, cui parent intus omnia. Pari verecundia in perſuadendo tentandus eſt aditus ad auditorum animos, ignotos nobis, et quaſi hoſpites orationis initio. In eo quoque multi alumni concionatoris huius errauere, quòd omne ſtudium in exordienda oratione conſumpſerunt. Ita fiebat, vt prima quidem ſuccederent belliſſimè, cætera verò tamquam ex diuerſo viderentur ære conflata, neque conſtaret æquabilitas illa, quæ plurimum refert in ſcriptis, ne ſcilicet appareant quaſi diuerſa manus artificum, et hinc inde corrogata fragmenta. Quòd ſi homines illi ſtudioſi, tempus, operam, memoriam, induſtriam, laborem æquabili diſpenſatione cunctis partibus orationis tribuiſſent, ſicut vel in exordio, vel in poetica quapiam, et inani fortaſſe ſimilitudine, vel deſcriptione conſumebant, certè gloria maior illis obtigiſſet. Non igitur licet amore tam inæquali eſſe affectos erga partes ipſas orationis in ſcribendo, vel dicendo, vt alias contemnere videamur, alias plus etiam iuſto comere et expolire. Ac ſicut in toto ſimilium vſu prauè ſunt magiſtrum imitati diſcipuli: ſic in oratione ſæpius, languidiuſque conuertenda, nõ rectum ab eodem exem-*

Verecundè in principio dicendum.

plum

*plum ſumpſere, quod ſequerentur. Faciebat enim ille tanta cum dignitate ſimul, et gratia, vt raperet auditorum animos; ac licet ea forma ſæpius vteretur, erat tamen in eo non ferendus ſolùm, ſed etiam laudandus. Commune eſſe, præceptum poſſet, ne homines parùm exercitati adhiberent hoc ornamentum, neve ſine acri meditatione, et cura. Nunc paſſim, ac temerè noſtri homines vtuntur, pronuntiantquè multa non ſine auditorum offenſione, et etiam irriſu, tertio quoque verbo Chriſtum, et Romam, Cælum, Terraſque repetitis vicibus inclamant; ipſumque pendentem è Cruce Dei Filium interrogant audacter adeo, vt ſatis appareat, eos ignorare quid negotij ſit loqui cum maieſtate tanta. Hæc orationis lumina maturè indigent conſilio, debentque circumſpecte admodum inferri. Certè viri ſapientes animaduertêre, cauiſſe Dantem in carmine ſuo mirifico, ne Deum, aut Dei Matrem vnquam faceret loquentem, quippe cum intelligeret optimè quanti id eſſet momenti. Panicarolæ ſolenne fuit transferre verba frequenter, translationibuſque tota oratione longiſſimis vti. Is ornatus, ea ſumma ipſius ars erat. Tria ſecum incommoda ferunt abſolutæ translationes. Nam, et ſubtiliter nimiùm conantur accommodare vim ſuam ad ea, quæ volumus explicare;*

Dantis cautio in Poemate.

*et*

*et multa interim ſunt nobis inuenienda, vel oppoſita inter ſe, vel ſimilia, vel pugnantia, vel paria; et occupatus animus in rerum earum ſubtilitate relangueſcit, nec impetu concitatur eo, quo moueri ipſum oportebat. Non item omnia perſequi orator debet, quæ perſequeremur in diſputando; non enim ille naturam rei ſemper, ſed ea, quæ rem comitantur, exquirit ſæpius; delibanſque rerum florem, omittit aſpera quædam, et ſpinoſa, quæ tamen erunt elicienda, et tractanda, ſi voluerimus ad extremum vſque proſequi tranſlationem inchoatam. Neceſſe eſt etiam peccari multa in hoc longo tranſlationum tractu, quæ noto vocabulo, allegoriæ in ſcholis appellantur. Cum enim non ſubeant ſemper ea, quæ vellemus, cogimur ad noſtrum vſum detorquere multa de ſua ſede et loco, eaque peruertere indignis modis ac depr auare. Ideo, poterat ſanè Panicarola propter excellentis ingenij vim vti commodiùs allegoria, quàm cæteri; neque ego concionatori fuerim auctor, vt frequenter ſe ſe committat ei negotio, cuius exitum plerumque ſit habiturus infelicem. De hoc oratore poſſumus affirmare, neminem fuiſſe per eos annos maiore fama, neque id ob concionum tantummodo gloriam, ſed propter liberalem in communi conſuetudine modum agendi, quo multorum priuatim*

Periculum in Allegoria.

Panicarolæ artes ad animos hominum alliciendos.

ani-

*animos alliciebat. In id habuit ille tantum artis, totque laqueos, et vncos, et retes ad capiendas hominum voluntates habebat, vt cupidiſſimè affectarentur eum nobiles, obſcuri; docti pariter, et indocti; neque ſolùm vbi moraretur vſpiam, ſed etiam ex itinere diuertentem aliquò, ac tranſeuntem fortè per vrbes. Poſſunt noſtros mobiles nimiùm animos hæc effuſa ſtudia ſanè commouere. Sed, ſi quis recta via reputare negotium velit, comperiet hos ventos et hanc popularem auram ferè nullius eſſe momenti. Ego enim ita ſtatuo, bonum oratorem non angi tantùm ac ſolicitari ob auditorum iudicia, et ſermones, quantum angitur ob eam moleſtiam, quam ipſe ſibi aſciſcit et creat. Fœda imago, quam ſpeculum reddit, eſt ei præſertim moleſta, qui, dum eam intuetur, ſe ipſum agnoſcit; cæteris non perinde eſt curæ, quales vultus id vitrum repræſentet. Quinimmo videtur nullus eſſe quodammodo laudi locus, nullave commendationis occaſio inter auditores, et oratorem. Potiùs enim animos auditorum occupatos eſſe oportet vtili dolore, modeſtiſve querimonijs, quàm inani cura, concionatorem vt laudibus extollant. Nam eius oratione ſentire debent auditores in animis violentiam, et quaſi coacti id facere, quod nollent; neque oratoris verba cibum ferent ſemper, ſed*

*me-*

medicamentum etiam, ita vt animorum perturbatione pellantur ea, quæ ſunt vitiata et corrupta. Non igitur cenſemus, plauſus hoſce, quos dare vulgus amat, propriam et germanam laudem eſſe concionatoris. Summa meo quidem iudicio laus erit, ſi diſcedent omnes ex concione mœſto cum ſilentio, nihil vnquam inter audiendum effati; ſi madentibus adſtabunt oculis; ſi crebra ducent ſuſpiria, ita vt etiam audiantur; ſi varij motus animorum apparebunt in vultu; ſi nutibus etiam imprudenter ſignificabunt ſe rebus aſſentiri; ſi auidè cum leni quadam contentione implebuntur ſubſellia; ſi multitudinem cernes vndantem et impulſam oratoris actione, voceque, tamquam vento; ſi vltimi ac longinqui porrigent capita, ſeque leuabunt in pedes; ſi nullus abibit eorum, ad quos non tota peruenient verba; ſi demum ea cernetur auditorum voluptas, quæ non finem orationis expectet, non audiendi tædium fateatur. Panicarolæ fuit oratio, et forma dicendi, qualis expreſſa cernitur in tota concionum illius varietate; quas quidem ego conciones arbitror ea ſcriptas fuiſſe ratione ac ſtylo, quo fluxerant è ſuggeſtu. Liberè fluebat elocutio, eratque facilis, et expedita, et illius lingua legibus mediocriter inſiſtens; nondum enim ad id fortaſſe tempus fuerat Etruſcus ſermo tam exactè,

Summa Concionatoris laus.

Panicarolæ oratio.

et

et ſeuerè conſtitutus, quin poſſent homines aliquantò plus licentiæ ſumere ſibi, quàm certè nunc liceret. Multi, qui ſtylum ipſius imitari ſtuduerunt, in eo grauiter errauere, quòd nonnulla verba nitoris eximij, nonnulloſque modos velut è media petentes Etruria, in reliqua deinceps oratione plebeij erant, ac diſſoluti. Numquam ego ſuaderem patrij noſtri ſermonis ignaris hominibus, vt pro Sigillo, Sugellum; pro Mediolano, Melanum, et alia quædam vſurparent. Non enim cætera ſunt ad eandem formam. Hominem ego admodum inquinatè loquentem, et ſcribentem audiui, cùm ita diceret; Chriſtus iuit ad Ioannis. Etruſcè id commodiùs explicatur.

Anguntur omnino prudentes homines, et litterati, cùm haſce demerſas cœno gemmas vident. Itaque ſtudendum eſt æquabilitati, cauendumque, ne tamquam ſerico pannum aſſuentes, ita periodos abſolutiſſimas inſeramus in ſermone plebeio, qui nihil alioqui habeat venuſtatis. In hoc inſuper Panicarola, magis fortaſſe, quàm in vllo alio temporum noſtrorum oratore, facilè potuit animaduerti quanta ſit vis actionis, cum ſcilicet conſpecta quædam in eo fuerint partis huius miracula; cùmque monumenta eiuſdem hoc orbata lumine, tenebricoſum et obſcurum habere quiddam videantur. Inde tanta illa naſcebatur au- (Actio in Panicarola.)

*dientium voluptas; aiebatque vulgus imperitum, proprium hoc illius munus eſſe delectandi. Abſurdè id quidem; et obſcura nimium ea laus fuiſſet. Habet enim perſuaſio delectationem ſemper adiunctam; eaque vera demum eſt delectatio: ſed non quoties affertur nobis voluptas et delectatio, etiam perſuadetur. Quòd ſi concionatorum alicui vna ea foret propoſita cura, populum vt delectaret, eſſet ille ſanè vituperandus, cùm animi ſit abiectio... loqui tantùm, vt alienæ inſeruias voluntati; cùmque viri graues eam loquendi cauſam habeant, vt ipſorum ſtudijs potiùs atque voluntatibus ab alijs inſeruiatur. Perſuadendo fertur victoria; iſque magnorum oratorum fuerat olim conatus. At parare delectamenta populo, ſimile eſt ludi; debemuſque talia relinquere poetis, et ſcenico gregi, qui artem hanc factitant. Cum tantam igitur in audiendo Panicarola voluptatem homines haurirent, atque tanta iam eſſet viri eius fama, factum inde eſt ſcilicèt, vt multi excellentibus ingenijs adoleſcentes hunc ſibi magnopere eſſe imitandum putarent; atque per aliquot inde annos, nulla præſtabilior haberetur diſciplina concionandi, quàm quæ ex illius imitatione fluxiſſet. Sed vti dicebam, non omnes eum rectè ſunt imitati. Nam alij afferebant in concionē vana et inania multa,*

Populum delectare non eſt ſacri Concionatoris.

*quæ*

*quæ ille numquam attuliſſet; alij narrare fabellas; alij congerere multa quæſita aſperitatis vocabula, longamque ſeriem auctoritatum ad memoriam oſtentandam, et oppoſita contrarijs contraria, fucata quadam arte, velut ad ingenij pompam, et ludum. Fuit ex hac imitantium claſſe, qui cùm in ea verba concionaretur;* Ductus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu, *paulatimque progrediendo, perueniſſet ad ea;* Et oſtendit ei omnia regna Mundi, *terrarum Orbem primò diuiſit in ſuas partes, in ſingulis deinde partibus cœpit enumerare prouincias, in prouincijs vrbes. Ita, non Euangelica illa fuit explicatio, ſed Geographica deſcriptio propoſita concioni, ſumma cū offenſione prudentum, qui adfuere. Ea verò cum eſſent vitia minimè perfecti iudicij, difficile foret omnino remedium idoneum afferre; ac fortaſſe nihil aliud hominibus eiuſmodi præciperemus vtilius, quàm vt precibus accuratis inuocarent primò diuinam opem, inde ſe ſe ad commentandum piè ac religiosè conferrent, magiſtraque concionum vterentur precatione. Ita non modò pars lucis ipſis oriretur ad inania præcauenda et vitanda, ſed calorem quoque maiorem animis conciperent, atque rebus inuentis adderent quodammodò ſpiritum et vitam. Certè licet admirari, quòd reperiantur ex concionatorum numero, qui-*

Inanis oſtentatio Concionatoris vnius.

Animi concitatio in Concionatore quanti ſit.

*L 2 bus*

*bus adeo neglecta ſit et proiecta concitatio hæc animi, quam vulgo ſpiritum appellamus. Atqui tanti fecere veteres eam, habereque tantum ponderis ad perſuadendum exiſtimauere, vt infantis oſſa collocarentur in ſcena, quorum adſpectu lacrymari homines cogerentur; nobiliſque tragœdiarum auctor in ſubterraneo degebat ſpecu, vt in loco illo obſcuro vim aleret doloris. Vir pius, et concionator minimè malus, narrauit olim mihi, diuturnam eam ſibi fuiſſe conſuetudinem, vt compoſita concione et parata, pronuntiaret eam intra cellæ parietes, tamquam in conſpectu Chriſti Liberatoris, et Deiparæ Virginis, quam ſibi præſentem imaginem cogitatione depingebat. Fieri aiebat ea taliū auditorum imagine, vt concitaretur vehementiùs, neque ſuperfluum, atque indecorum quidquam in oratione eſſe reſiduum pateretur. Alius item narrauit, ita ſe ad populum conſueuiſſe concionari, vt ſpectaret animo et mente quendam vnum laborantem eo vitio, quod ipſe ſtatuiſſet inſectari; grauiſſimum prætereа ſupplicium animo propoſitum habere, quod eſſet aditurus, niſi perſuaſiſſet ea, quæ vellet. Afferebant concionatores illi miſeri, et ieiuni nonnullam ſuæ vanitatis excuſationem, cùm dicerent, allici ſic auditores ad ſalutem, quaſi delectationis hamo. Id fortaſſe poterat admitti, ſi artes ad-*

Veri Concionatoris artes.

hi-

hibuiſſent ad captandos animos opportunas, ſed ferè nihil habebat ipſorum oratio, quod poſſet cuiquam eſſe ſalutare, quodque ad rectè agendum incitaret. Quòd ſi aliquid etiam grauiter, et accommodatè dixiſsent, id ipſum in irritum cadebat, ob eam nempe cauſam, quia reliqua orationis leuitate fidem ſibi totam abrogarant. Nec extremus ille conatus in perorando proficiebat quidquam apud eos, qui iam expleti nugarum ſatietate, fingi, et ludi totum quoque illud arbitrabantur. Verùm, illæ ineptiæ ac nugæ citò admodum euanuere; totaque illa ratio concionandi, ceù fumus, in auras eſt dilapſa. Sequitur humanus animus tanto ſtudio vera et ſincera, vt ignara quamuis multitudo pertæſa tinnitum inanem, atque ſine fructu verborum ambages, cœperit minore, quàm antea, concurſu frequentare concionatores illos. Ipſi quoque facilè ſenſere, cur nam ita deſererentur, ac partim agnoſcentes errorem, in alios mores abiere, partim vrgente iam ſenio ſunt mortui. Arbitror haud alienum huic eſſe loco Demoſthenis illud, quo declaratur, mores, et actiones aliorum tunc eſſe laudandas, noſtras verò damnandas, cùm palam erit, plus approbationis, et laudis in vulgus eos habere, quàm nos habeamus. Vbi autem ſecus appareat, non debemus, vt aliorum inſtituta Demoſth. Orat. aduerſus Lept.

ſecte-

ſectemur, à nobis ipſi deficere. Nunc reliquum eſt, vt noſtram explicemus de libris quoque ſententiam, quos Panicarola ſanè multos reliquit. Fuerat enim magna facilitas eius in ſcribendo; ac, ſi ei contigiſſet, vt diutius viueret, minimè dubito, quin longè plura fuiſſet relicturus. Viuidum, et acre demonſtrant hominis ingenium; ardet in diſputando; lenis in mitiganda ſcholarum aſperitate; tractat planè, ac dilucidè ſi quid inde ſuſcepit explicandum. Extat inter eius libros Commentariolus de concione texenda, quem ſcripſit, vt arbitror, fatigatus efflagitatione diſcipulorum; adhibuitque prudenter excuſationem, nequaquam id fuiſſe ſibi conſilij, tantum vt munus aggrederetur, ſed coactum eſſe ſtudijs et deſiderio nonnullorum, vt, quæ ſua concionandi ratio fuiſſet, ad eam diem explicaret. Videtur ille nobis hoc vtique debuiſſe præfari. Oportet enim orationum artificia, et inuentiones, quantum fieri poßit, eſſe diuerſas, ne videatur vna eſſe cunctis dicendi regula et norma; neve credant homines, vnum eſſe concionum exemplar. Nam alioqui fiet, vt facilè vaticinentur auditores de qua quiſque re ſit dicturus; afficianturque tædio, veluti ſi tramitem calcare ſemper vnum neceſſe habeant, et, cùm vario palato poſcant diuerſa, fieri non poteſt, vt cibum omnes

Panicarolæ Cōmentariolus.

eun-

*eundem concupiſcant. Cùm Panicarola, tanta omnium admiratione, præcipuæ celebritatis templa concionabundus obiret, extitit Ludouicus Galiardus, qui diſsimili ſtylo, florentibus annis artem eandem factitando, breui tempore ſibi nomen, magnamque famam inuenit. Nulla fuit vrbs in Italia, cui non ille poſt paucos annos expeteretur, et in qua non dixerit ſumma cum approbatione multitudinis pariter, et eorum, qui vel prudentia, vel doctrina iudicare aliquid poſſent; arbitrorque ego, hunc vnum ex ea copia, quam hactenus recenſui, proximè ad veram Chriſtiani oratoris laudem acceſsiſſe. Memini narrari, Panicarolam ipſum, cùm in Italica magni nominis vrbe concionaretur, affluente ad eum populo ſimul, et nobilitate, iuſſiſſe die quodam tempeſtiuius aliquantò, quàm inſueuerat, dari concionis ſignum; concione dein abſoluta, ſignificaſſe auditoribus ſuis, quemadmodum ſecum ipſe conſtituiſſet ire ad audiendum eo die concionatorem, qui magiſter omnium optimo iure poſſet appellari; quive Chriſtianus orator eſſet optimus; proinde rogare omnes, vt vnà ſecum irent. Poſtquam deſcenderit è ſuggeſtu, ducem ſe præbuiſſe multitudini, atque recta illuc, vbi concionabatur Galiardus, proceſsiſſe. Paulò antea quàm migraret ex hac vita, cùm ex eo percunctarer, num*

Ludouicus Gagliardus.

Panicarolæ teſtimonium de Galiardo.

tot

tot annorum decurſu, quibus eſſet concionatus, magnopere artem adhibuiſſet, an verò naturæ ſequeretur inſtinctum, nihil ſanè cunctatus, reſpondit, elaboraſſe tantùm in eo, vt quàm aptiſſimè diceret ea, quæ legendo, et meditando præparaſſet. Potuit, vt arbitror, in eo viro, lectione ſimul, et contemplatione diuturna, præter ipſius opinionem, ars exiſtere, quam præceptis illis minutis atque vulgaribus minimè didiciſſet. Memini, ſolitum eum laudibus efferre Ricardum à Sancto Victore, ex quo, exiſtimo, nonnullas ipſum dicendi formas hauſiſſe. Quod verò attinet ad contemplationem illius diuturnam, damnans ediſcendi conſuetudinem, aiebat, ſibi numquam eam placuiſſe, ſed cogitando multum, atque perpendendo, et reuoluendo quæ dicturus eſſet, aſſecutum, vt omnia pronuntiaret iiſdem pene verbis, quæ cogitanti veniſſent in mentem. Venerabile os fuit huic viro, gratuſque vultus ab religione, quantum cogitando vix aſſequi quiſquam poſſit, adeo ſcilicet, vt quandam ingeneraret animis aſpectus ipſe pietatem. Aptè pronuntiabat, quamuis nihil haberet ex Etruſco ſono; et ſuauitas erat ea, quæ iucundiſſimè ad aures accederet. Pronuntiandi vix poſſunt vllæ certæ leges eſſe, ſed faciliùs parabitur ea facultas vſu, niſi obtigerit Naturæ munere; ſemperque talis labor in

Ricardus à Sancto Victore.

faſti-

*faſtidium euadet, noſtræ præſertim Longobardæ nationis vitio. Neque enim erudieris facilè longiſſimi temporis diſciplina, terræ huius hominem, vt C. V. E. pronuntiare diſcat exactè, niſi multum audiendis alijs hauſerit eam facultatē. Galiardi pronuntiatio erat explanata cum vocum impreſſione, diſtincta iuſtis interuallis toto concionum curſu. Is etiam, quando feruebat maximè, adhibebat eam moderationem, vt ſeptum dentium egreſſa verba, non fugitiua celeritate, ſed viatorio gradu procederent. Ex quo fiebat, vt omnia, quæ diceret, clarè ac dilucidè ab omnibus intelligerentur. Inflexa vox ad familiarem vſum, nec efferebatur immoderatè, neque conuulſa erat abrupto ſono, quo plerique commoueri poſſe animos putant. Eo ſono interciſo, et vehementi qui concionatores vtuntur, videntur fulgurare quodammodo, et tonare; non ſicuti fulgurabat Pericles, et tonabat, ſed ſicuti Cæli fragor intermicantibus fulgetris è nubibus erumpit ille, quo perterremur. Quòd ſi clamores alti concionatorum ſemper valerent ad terrorem, vtile foret omnino: ſed rarò admodum valent; atque tunc ſolum, cùm alioqui res ipſa pondus habebit. Sunt è concionatoribus alij, qui non clament nimium illi quidem, ſed voce ſemper eadem ad extremum vſque perſeuerent, qua dicendi principium*

Pronũtiatio Galiardi.

M ſecere;

*fecere; ipſi tonum appellant minimè abſimilem uniformi, et uno articulo continuatæ muſicorum voci, quæ nec multum habet artis, et citò faſtidijs adhæreſcit; cùm ex diuerſo, melos abſolutiſſimum ſua mirificè placeat varietate ſemper, et gratia. Hos canere magis, quàm loqui iure aliquis dixerit: quod quantum ſit in concionatore vitij, facile cuilibet erit exiſtimare. Ordine ſemper vtebatur optimo, quem rhetoricum verè, et artificioſum appellares. Tanta vis eſt huius ordinis ab arte deſumpti, vt comparari poſſit exercitui, qui alia diſpoſitus arte, facilè vincetur ab hoſte, alia vincet hoſtem, conſtitutæque militariter vires aduerſus maiorem numerum, et virtutem inualeſcent. Ita res eædem, ne verbo quidem addito, ſi certa quadam ſerie conſtabunt, erunt ad perſuadendum efficaces: alioqui miſerè languebunt.*

Galiardi mos. *Conſueuit Galiardus orationis initio mirificum ſemper afferre aliquid, quo animi auditorum erigerentur, attentaſque præberent aures, et erat inter pronuntiandum ea maieſtas hominis, et efficacia, vt ipſe quoque videretur illud admirari. Multum etiam excitantur animi rerum earum auditione, quæ communi hominum opinioni contrariæ eſſe videntur. Percellunt enim nouitate quadam animos, qui cognoſcere ferè malunt rara, et occulta, quàm ea, quæ ſunt omnibus in promptu.*

*promptiu. His tamen admirabilibus, quæ Græci paradoxa nominauere, nequaquam oratori noſtro nimiùm ſæpe vtendũ puto; videnturque ſcripta Dionis Chryſoſtomi vitij nonnihil inde traxiſſe. Habent enim etiam illud incommodi, quòd nempe conditione vtitur iniquiore quiſquis incredibilia hæc, et admiranda ſectatur; ac fuerit vtiliùs omnino ſectari tantùm ea, quæ facilè in animos deſcendant, et dicendi arte commodè poſſint illuſtrari. In ea verò parte, quæ pertinet ad concitandos animos, ita verſabatur, vt magnopere commendandus eſſet. Omnes enim motus, quos hominum generi Natura tribuit, perſequebatur diligenter, atque tractabat ita, vt conſumeret omnem oratoriam facultatem, et artificiũ. Atque, quò maior eius rei fructus conſtaret, non vagabatur ille per eos humani animi ſenſus, tentans modò hunc, modò illum, qua fortaſſe varietate aliquis alius vteretur, ſed in ſingulis concionibus præcipuum aliquem ſibi motum proponebat, eoque permiſcere auditorum animos conabatur in exordienda oratione, in proſequenda, in concludenda, nullo interim digreſſu, quo tenor inchoatus intermitteretur. Id erat quaſi præcipuum picturæ lumen, quod reliqua omni clarius luce, ſtatim in oculos incurrit. Ita fiebat, vt in vnum collectæ finem mentes auditorum hære-*

Galiardus vnum ex animi motibus ſibi proponebat.

M 2 *rent*

*rent immobili gradu, atque ea conſtantia facilè motum admitterent, qui concionatori propoſitus eſſet. Eſt tamen et alia ratio, qua id aſſequi tutò, ac ſine vlla reprehenſione poſſimus. Namque Patrum eloquentiſſimi, non ſemper eum tenuere curſum in oratione, vt morum, et vitæ diſciplinam ab intimis Fidei diſputationibus tractarent ſeparatim, ſed hanc, veluti ſanguinem, et ſuccum, tota diffuſam oratione licet apud illos intueri. Poterunt vtique duo hæc munera nonnumquam alternatim exerceri cum laude. In hac animorum concitatione tentanda, miſcebat omnem artis elegantiam, et omnia ornamenta, quæ vel quilibet ſummus alius orator adhiberet; nec erat ornatus ille quaſi ſubitarius et improuiſus, ſed prudenter, et attentè, magnoque ſtudio perfecerat, vt clariſſimis diſtincta figuris appareret oratio. Incidi ego olim in volumen, quo ſimilia multa, varijque comparationum loci, et pleraque deſcriptionum ingenia in vnum accumulata continebantur. Id volumen, permotus auctoris fama, cùm legerem attentiſſimè, tacituſque conſiderarem, maturone iudicio, an verò properanter ac temere ſcripta illa forent, animaduerti tandem, nullum ei auctori propoſitum fuiſſe librum, cuius lectione paratior, et inſtructior ad ſcribendum accederet, ſed impetu fudiſſe natura-*

Galiardi oratio diſtincta figuris.

*is quæ nonnullorum imitatione poetarum excogitare potuiſſet. Neque tamen optimos lectitarat. Non ita conſueuere Maiores noſtri viri eloquentiſſimi, ſiue ſacra et diuina, ſiue profana et humana tractarent; pauciſque verſiculis eorum, ſcripta pulcherrimarum rerum varietatem amplectuntur. Galiardus, vbi fuerat accuratè commentatus ea, quæ dicturus eſſet, occupabat animum labore nouo, vt ſcilicet verba, et actionem, et vim animi ſui quàm aptiſſimè ad argumentum accommodaret; contra quàm facere concionatorum quidam inſueuit. Audiui enim ego concionantem ita, vt ſummos verborum, atque ſententiarum ornatus, non voce, non geſtu, non apta pronuntiatione exprimeret, atque imitaretur: exclamabat languidè, non in apoſtrophe, non in ſermocinatione quidquam erat vigoris, perinde ac ſi de grauiſſimis rebus agendo, temere et ilocalariter loqueretur. Inter Galiardi dotes, illud erat præſtantiſſimum, quod poterat inſinuare mirificè ſi quid eſſet inſinuandum. Fit autem hoc arte ſumma, cùm, antequam ad perſuadendum aggrediamur, ambitu quodam occultiore penetramus in auditorum animos, eoſque velut inhibemus, vt, cùm poſtea tempus erit, victoria faciliùs paretur. Id cadet optimè, ſi rationes, et firmamenta rerum, antequam res palam ipſa,*

Galiardi cura, & ſtudium.

quam

*quam perſuadere volumus, exponatur; inſederint animis ita, vt propoſitio incidat in probationes, et argumenta; immo fluat ex eo, quaſi naturali fonte, non autem impreſſa iam animis concluſio ſibi rationes conquirat. Peruenit Galiardus ad ipſos prope vltima ſenectutis annos, atque in illa mihi dixit ætate, conſilium eſſe ſibi, dictare nonnulla; quæ doctis auribus digna erunt, opinor, tum quia pollebat ingenio, tum quia Galiardus alter, frater ipſius, Achilles nomine, concionantem adiuuerat, longe maiore doctrina, et excelſo vir ingenio. Concionabatur ille quoque, ſed nec magnopere fauerat Natura, et ſi quid habuerat fortè naturale, corrumpebant id ipſum aſſiduæ diſputationes in ſcholis, et publicum interpretandi munus, quo detinebatur.*

Galiardus alter Achiles nomine.

Vide Bibliotheca Societatis Jesu a Nathanele Sotuelo aucta

DE



# DE SACRIS NOSTRORVM TEMPORVM ORATORIBVS

## *LIBER TERTIVS.*

*MIRARI fortaſſe aliquis poſſet, quòd inſtitutum hunc de concionatoribus ætatis noſtræ ſernem proſequenti mihi viſum fuerit in huius tertij libri principio collocare Sanctũ Carolum Sanctæ Praxedis Cardinalem, et Archiepiſcopum Vrbis Mediolani. Non leue decus eſt hominum, qui noſtro æuo ſeſe contulere ad concionandum, in ſua nactos eſſe claſſe tanti nominis collegam, qui iam nutu diuino, Romani Pontificis auctoritate, ſummo Chriſtiani Orbis gaudio in cæleſtium numerum auguſtiſſimè eſt relatus. Adfuere præterea Sancto huic viro ſummæ illæ laudes,*

Sanctus Carolus Archiepiſcopus Mediolani.

*des, quæ eſſe in vero, ac magno concionatore debent; atque dixit ſemper ita, vt nominis illius gloriam egregiè ſuſtineret. Id fortaſſe ſtolidi homines non animaduertêre, qui artis huius diuinæ penitus ignari, ſpectabant ipſius tantummodo, vel pronuntiationem, cui deerat aliquid, vel vocem, quæ fere ſemper obſcurior erat, vel ſtylum, qui nihil vnquam habebat ex inani, nec ea redundaret vecordia, quæ nimium ipſis placebat. Infelices illi neque reputabant, antiquitatem ipſam hæc facilè potuiſſe tolerare vitia, ſi, vel coniuncta, vel ſeparatim, in magnis illis oratoribus extitiſſent. Atque arbitror ego, ſi Pericles irracuiſſet abſque remedio, populum nihilominus Athenienſem attentas et auidas ei præbiturum aures fuiſſe. Demoſthenem quidem ipſum accepimus, elaboraſſe feliciter in eo, vt, ſi quid haberet à Natura calamitatis, emendaret; quia non ſatis fuerat ei, ſi libenter audiretur, niſi etiam euaderet ſummus oratorum; quod ſcilicet eſt aſſecutus. Ambroſio Parenti noſtro Sanctiſſimo vox offuſcabatur interdum; atque ex eo licet exiſtimare, pronuntiationem ei, cuius magna vis eſt in voce, non fuiſſe commodiſſimam. Manet ſua fama tamen ei, ſuumque nomen; ac ſi viueret hodie, poſſetque diuinam illam orationem aliquis auribus excipere, non ob id ipſum de ſumma illius*

Sancti Ambroſij fuſca vox interdum.

*elo-*

*eloquentia detrahere quidquam auderet. Hominibus huiuſmodi, qui delectantur tantopere inanibus, amantque fucata verba, et quaſi pabulum è vento, cogitandum erit, muſicam antiquitus artem, quæ tota videtur eſſe nata delectationi, non tam ad recreandas, quàm etiam ad incitandas hominum mentes ab illis adhiberi ſolitam fuiſſe, qui excellerent eius gloria; ſcilicet ei ſono vim ad perſuadendum ineſſe quandam exiſtimauere, quæ vnà cum verbis perfecti munus oratoris implere poſſet. At nos deſiderabimus in oratione ſales, et iocos, facetias, et oblectamenta delicata, quodque dicere animus horret, in Euangelica ſeueritate laſciuias? In verborum delectu ea ſumma laus eius fuit, quòd nihil vnquam excidit, vel deteriore ſenſu, vel ancipiti, nihil temerè dictum, in quo tamen plerique concionatores falluntur. Et alicui in concione verba hæc exciderunt. Opibus, quæſo, veſtris inopiam ſubleuate meretricum mearum. Voluerat autem verbis huiuſmodi ſignificare quoddam earum domicilium, quo infelices animæ detinebantur incluſæ. Alius item ita eſt locutus. Non licet mihi reſpirare per mulieres iſtas; quo verbo voluit earum indicare moleſtiam importunam in efflagitanda ſtipe. In apoſtrophe verò, niſi concionator foret ille, cui manarent lacrymis oculi, canumque*

N caput

*caput albicaret, numquam ita loquendum erit; Anime mi, dulce decus meum. Formulas eas incautè petiere concionatores ex religioſis libellis, qui circumferuntur, exprimentes arcana colloquia, quibus affari Deum ipſum intra ſuos receſſus pij homines tentauere. Illi verò, ſublato diſcrimine ſuggeſtus, et cellæ, nec animaduertentes vllo modo quantum interſit inter publicam concionem, et collocutiones priuatas, afferunt eadem ad populum, ſicut in libellis illis reperere. Certè potuerant præſtantiorem aliam inde diſciplinam arripere, qua culpas deflerent, et magna cum animi ſubmiſſione viuentes, peterent incenſis precibus à Deo, vt poſſent vtiliter ac fructuosè concionari. Etiam fuere qui verba proferrent ea, quæ voce ac ſono referrent impias in Deum voces, ſi quis nudam eorum ſignificationem intueretur. Cùm enim dicere velint, non facturos eſse homines aliquid in Dei gratiam: non fieret hoc per Deum, inquiunt; atque ita, ſolito communis licentia more, peierare videbuntur. Chriſti quoque ſanguinem, et corpus plerique nominant eodem periculo; quod magnopere putamus eſſe vitandum, immutando ſcilicet eas voces, et moderando, vel aliquid addendo; tutiuſque dicent, pretioſum Chriſti ſanguinem, ſacratiſſimum Chriſti corpus, et in hunc modum cætera alia.*

Ambiguæ voces in concione.

*De-*

*Dedecet etiam iacere conuicia in concionem, quamuis in perditos et nefarios homines iactentur. Id enim argumento eſt, ſcire nos quoque conuiciari; et accipit interim populus eas voces, quibus aliquid vitij ſubeſt, quaeve delicatas offendere aures poſſint. Malim ego pro conuicijs honeſtiora verba proferri, quae ſignificent animi noſtri miſericordiam ſimul, et faſtidum in eos, quorum reprehendere vitam velimus. Ac citra offenſionem, poterimus inſectari perditos hominum mores, iacula haec in eos contorquendo: Infelices homines, et capita caeca, miſerrimi omnium, et indigni, quos terra ſuſtineat. Dicent etiam aliqui. Teſtor Deum, hoc me non eſſe facturum, ſi mei arbitrij res eſſet. Ne facite per caput, per fortunas veſtras. Iure iurabo, id nequaquam poſſe à vobis impetrari. Sunt haec omnia vitanda concionatori; ſignificant enim, hominem inſueſſe peierare, nec abhorrere penitus ab alea, et fortaſſe aleatorem olim fuiſſe. Offerre autem pignora, et ſponſionem in concionando, atque prouocare in id ipſum auditores, abiectum et humile quiddam ſapit, habetque plebeij et vulgaris. Oportet demum, eam eſſe noſtri ſermonis conſuetudinem in ſuggeſtu, quae nos loqui caſtè ac purè ſemper teſtetur. Ideo numquam probaui licentiam intemperantem, ſi quis fortè*

Conuiciari Cócionator nõ debet.

Profanae formulae vitandae Cócionatori.

*dixiſſet : mulieres iſtæ meæ, vel amœnus hic illuſtrium feminarum chorus; ſi quis etiam puellam formoſiorem oculis repræſentaſſet, aut amantes, et amatoria nominaſſet ſæpius; in quo animaduerti ego, non ita pridem lapſum eſſe quendam, qui concioni ſuæ duxit argumentum ab amatorio libello, quo Chriſtus ipſe peccatricem animam alloqueretur. Et vecordiæ fuerit extremæ alludere iocular iter ad feminas, quæ ibi præſentes adſint, atque facetè illas cauillari. Nec ea erunt dicenda, quæ ſexum illum pudore confundant; ſunt enim potiùs diſsimulanda concionatori. Neque fructum vllum habebunt ſolita in mulierculas nomina, quibus adſimulata pietas illis quaſi per ludibrium exprobratur. Nam alijs quidem ridicula erunt hæc nomina; ipſis verò etiam indignationem, et occultas iras mouebunt. Erat etiam illa Sancti Paſtoris in tractandis Fidei dogmatibus, atque myſterijs prudentia, et religi[illegible]t, cùm ab ineunte ætate nequaquam ille di[illegible]o fuiſſet exercitatus in ea Theologiæ parte, quæ nomē habet è ſchola: nihil tamen in eo genere pateretur excidere ſibi, quod aut reprehenſionem haberet aliquam, aut vlla poſſet offendere ſuſpicione mentes auditorum; idque iure poſsemus admirari. In cæteris quoque rebus adeo circumſpecta prudentia eadem fuit,*

Non debet Concionator alludere ad feminas.

Ridicula in mulierculas nomiñá vitanda Cõcionatori.

*vt*

*ut nullum verbum exciderit vnquam ei, qualia multa de concionatoribus alijs vulgò circumferuntur. Quidam enim, cùm verſiculum illum Euangelicum explicaret;* Inimicus homo ſuperſeminauit zizania, *malus Dæmon erat hic, inquit, qui maleficum hoc ſemen ſparſerat; abijtque ſtatim poſtea cum Deo. Alius, cùm adoleſcentuli breuem deſignare ſtaturam vellet, porrecto imprudenter extra ſuggeſtum brachio, tantulus erat, ait; nimirum oblitus quàm altè à terra ſtaret ipſe, et quo in loco fixis pedibus hæreret. Habuit alia pleraque miranda vir diuinus, inſignem nempe diligentiam in ſacrarum Litterarum ſtudio, conſtantiam in dicendo per tot annos, laborem æternum, ſuſceptam pugnam aduerſus impedimenta Naturæ, nocturnas vigilias, patientiam in ediſcendo, ſi neceſſe foret ea, quæ ſcripſiſſet, induſtriam, et ſtudiorum artes, et nobis relicta tot volumina ſua manu, de quibus poſtea dicendi locus erit. Apparebat etiam in eo, dum verba faceret ad populum, quidam vſus, et ea rerum humanarum cognitio, quæ fons erat eximiæ maturitatis, et iudicij circa negotia, et varietates, quæ verſantur in communi vita. In hac prudentiæ parte, ſi velimus intueri genus omne concionatorum, quos penes hac ætate reliqua eſt imago veterum oratorum, et humanæ fa-*

Ineptiæ Concionatorum.

Mirifica quædam in S. Carolo.

*facundia, reperiemus, paucos admodum fuiſſe, qui poſſent iidem, et oratione gubernare populum, et imperio. Romani ſenatores olim, et conſules, et imperatores exercituum, ducebant multitudinem oratione quò vellent; vnde autem vellent, deducebant; et alebatur eorum exemplo ſplendidè ac magnificè in vrbibus, atque pratoriis eloquentia: quod quantì referret ad animos rectè inſtituendos, facilè vnuſquiſque poteſt exiſtimare. Hic rerum humanarum vſus, haecve prudentia, qua acquiritur experiendo, et agendo, tantò magis erit neceſſaria Epiſcopo concionanti, quantò minùs decent ea dignitate praditos homines vaſti motus corporis, et iactatio quadam immoderata. Non debebit Epiſcopus argutè mouere digitos, et manus; non quatere caput; non variare ſtationem in ſuggeſtu; non eum verberare palmis; nec fatigari nimiùm in dicendo; nec vociferari, niſi fortaſſe clamorem ſuſtineret ipſa rei magnitudo. Totam perſuadendi ſpem oportet Epiſcopo collocatam eſſe in rationibus, et argumentis; in communi hominum opinione de ipſo iam animis concepta; in leni quoque totius corporis, modò in hanc partem, modò in illam motu, quē Cicero laterum inflexionem appellauit. Ea verò dignitatem habebit, eritque moderanda ipſius orationis varietate. Magna vis etiam erat ei, quan-*

Veterum Romanorum eloquētia.

Epiſcopi concionantis actio.

do-

*docunque locum è ſacris Litteris aliquem explicaret; neque deſcendebat ad eas ineptias, quæ ſunt propria concionatorum, dum è ſuo quiſque ingenio trahere et interpretari ſententias volunt. Harum verò commentationum ipſius in ſacras Litteras, quæ multæ, et frequentes erant, memoria relicta nobis foret illuſtrior et maior, ſi ſcripta ipſius eam habere perfectionem potuiſſent, quam habuiſſent certè, ſi diutius ille vixiſſet. Oſtenderat enim paulò antequam extingueretur, magnopere cordi eſſe ſibi, vt manum illis extremam admoueret; atque ideo delegerat è ſuis familiaribus, qui exciperet ab ore concionantis ipſa verba; ſignificaueratque placere ſibi magis, vt Latino, quàm vt patrio noſtro ſermone deſcriptæ conciones in manus hominũ peruenirent. Latinitatem nimirum, vt opinor, ipſam plus habere dignitatis arbitrabatur. In omni præparanda concione vtebatur arte quadam, vt arbore conſtituta, diſponeret in ramis argumenta, et locos, memoriæ credo cauſa, quam ordo ille non parùm adiuuaret.* S.Caroli ſcripta.

*Has arbores ego in octo volumina degerendas curaui, cùm diu velut in tenebris latitaſſent, et obliuioni propemodum traderentur. Nunc ſeruantur in Ambroſiana Bibliotecha quanto decere arbitramur honore. Si enim ea noſtris animis inſidet diuini hominis cura, vt fruſtula veſtis,*

*aut*

*aut aliquam ipſius imaginem adipiſci, fuerit pars magnæ fortunæ, quid erit cauſæ, cur anxiè non conquiramus has reliquias eiuſdem animi, ne ſcilicet ſolita mortalium rerum conditione dilabantur et pereant? Cœperant tamen ſentire communem hanc iniuriam; ac de Sancti Caroli ſcriptis perierat iam aliquid, ſicuti ego ab illis accepi, qui debuerant ea fideliter ac ſedulò cuſtodire. Neſcio, an verè poſſit affirmari, fatalem quandam eſſe calamitatem, qua noſtri fructus ingenij magis omnino, quàm ea, quæ manibus elaborantur, ſint obnoxia detrimentis, et iacturæ multiplici, quia nimirum cæca fere ſint hominum iudicia ad pretium litterarum æſtimandum; cùm alioqui cætera iudicium oculorum acrius exploret. Præclarè collocaret operam in hiſce Sancti Caroli monumentis illuſtri quiſpiam ingenio, ſi curam hanc ſumeret ſibi, vt, quæ propria fuerunt ipſius, excerperet atque ſeponeret ab reliqua rerum varietate, quas ex aliorum ipſe libris in ſua ſcripta transferebat. Poſſent hæc illius inuenta certis comprehenſa capitibus ad varios locos accommodari; nec dubito ego, quin plena res foret vtilitatis, et etiam ſolidiore fructu, quàm pleraque poſſint afferre magni nominis volumina. Placuere Paſtori huic noſtro Beatiſſimo ſuper cætera omnia, Aluyſij Granatenſis libri, cuius viri ſpiritus,*

Scripta facilè pereunt.

Aluyſij Granatēſis libri placuere S. Carolo.

ritus, et ingenium cum ipſius congruere ſpiritu ſimilitudine quadam videbatur; ac de ipſo nunc Aluyſio, prout ordo temporum, et ſingulare Sancti Caroli ſtudium erga nomen ipſius monet, loquemur. Fortaſſe non habuere clauſtra qui noſtra concionaretur ætate magis ad paſtoralem ſpiritum, et modum; eaque fortaſſe commendatione tantopere placuerat Cardinali. Scripta teſtantur illius, haud aliud fuiſſe propoſitum ipſi, quàm vt Chriſtianos verè mores in hominum animos induceret, et vitia radicitus extirparet. Id in omni ſermone, vel potiùs in qualibet parte ſermonum apparet. Volebat omnino perſuadere, nec in eo munere ſatis habebat inſectari mortalium culpas acerrimè, ſed erigebatur altiùs illius oratio, mirificèque de omni Chriſtiana virtute philoſophabatur; eaque nunc eſt cauſa magnæ voluptatis et ſolatij, quo perfundi ſe ſe pectora piorum ſentiunt, ſi cum aliqua diuinarum rerum, et animi ſui notitia, ad Scriptorem hunc acceſſere. Cogor etiam eorum reprehendere temeritatem, qui ſolent in concione carpere famam et nomen ſanctioris vitæ hominum; neque pudor erit, pios illos et optimi exempli mores, quaſi per iocum et ludibrium inſectari verbis amaris atque contumelioſis. Dicent enim: ſpiritales iſti, qui vitæ ſanctimoniam profitentur: iſti, qui myſ-

Concionatorum conuicia in vitæ sãctioris homines.

teriam altaris obeunt quotidie collo inflexo, ruminantibus quotidiana precatione maxillis, dicunt, et faciunt omnia, quæ fert eorum voluntas, et præter merita tamen in magno habentur apud omnes honore. Hæc aliaque longè etiam triſtiora verba rudes plebeiorum animos impellunt in illud exitium, vt incipiant ipſi quoque melioribus obloqui, et vile nomen habere virtutis; quandoquidem illi iam euiluere, qui ſequi præ cæteris eam videntur. Vnde tandem poterit populus petere ſalutaris exempli lucem aliquam, ſi vituperari audiet illos, qui potuerant ad rectè agendum eſſe duces et magiſtri? Si conculcatur ſal terræ, ſperniturque palam, quaſi nihil in ſe grati ſaporis habeat, ecquid condimenti fatuæ ſceleratorum mentes habebunt? 

Sacerdotum corrupti mores quomodo arguendi.

Quòd ſi corruptos arguere ſacerdotum mores interdum velis, vtendum erit, opinor, non ſalibus atris, et dicacitate, ſatyricove quopiam aculeo, ſed obiurgatione graui, et ſeuera, maturoque conſilio deſcendere ad officium illud oportebit. Satiùs etiam foret, non in promiſcuæ concionis loco, ſed in priuatis tantummodo ſacerdotum conſeſſibus id præſtari. Verùm, ea multorum eſt inſcitia, vt nulla loci, hominumve habita ratione, pronuntient temerè quidquid, vel excogitare potuerunt, vel animaduertere legendo. Atque ita ſæpe fit, vt apud religioſiſſimos audi-

tores,

*tores, qui potiùs indigebant aliquo ſolatio, vituperare teterrimas humanæ vitæ labes inſiſtant, vbi minimè decuerat, atroces, et violenti. Numquã ita Granatenſis, vt erat non profunda ſolùm doctrina, ſed iudicio etiam excellenti. Conciones ipſius oſtendunt, magnam rerum ſupellectilem eum habuiſſe præparatam, et promptas in omni rerum varietate conſiderationes, auctoritates, argumenta, quæ è ſacris interdum, ſæpius è profanis petebat ſcriptoribus, è diuinarum verò Litterarum monumentis ſæpiſſimè. Neque dubitamus, quin ea, quæ ſcripſit, aliquantò plus approbationis fuiſſent apud multos habitura, ſi profanis teſtimonijs parcius vſus eſſet. Sicut enim nemo negabit illis vti licere nonnumquam: ita nolent multi, Senecam, et Plutarchum paſſim audire concionantes; ac tantò minùs, quia ſunt adeo contriti iam eorum libri, vt noui nihil afferre videantur qui petitos inde locos in ſermones ſuos abunde congeſſere. Sicut in corporibus humanis elementa confunduntur ita et miſcentur, vt nuſquam alterum ab altero ſeiunctum ſua ſtet vi, et natura: ſic miſtas in concionibus eſſe profanorum auctoritates vellem; libenterque ſuccum, et quintam veluti naturam eligerem, omiſſa figura, et forma, et rebus omnibus, quæ extrinſecus eam comitantur. Adhiberem mihi magiſtros, et mul-*

Aluyſij Granatẽſis prudentia.

Profanorum auctoritates quomodo in Concionibus adhibendæ.

tarum ſanè rerum auctores; ſed nequaquam ita, vt ea diſciplina, et eruditio eſſet apud omnes in propatulo et aperto; nec palam in dextra, ſed in ſinu geſtarem ea, quæ didiciſſem ab illis; ac ne abdita quidem intra ſinum ea geſtarem, ſed vellem in maturum ſanguinem habere conuerſa ſimilem ei, qui confecto cibo diuiditur in venas.

Profani Scriptores non laudandi nimiùm in concione.

Hunc animi mei ſenſum expoſui, quia numquam audiui libenter, niſi perraro, ſi quis in concione appellaret, efferretve laudibus eos, de quibus, ſi viuerent hodie, dubitari poſſet, an placeret illis Euangelium. In hac auctoritatum, et locorum frequentia, damnum eſſe illud animaduerti, quòd languorem quendam afferant orationi, eaque ſic exiſtat interciſa et interrupta.

Quomodo frangatur oratio.

Frangitur impetus orationis illo quoque ſpatio, quo ſolent concionatores, veluti neceſſaria quietis cauſa, ceſſare pauliſper, inter primam nempe partem, et ſecundam. Remittitur enim animi, laterumque vigor; et, cùm ad dicendum iterum exurgunt, iam flamma intepuit illa, quæ diffuſa tota æquabiliter oratione deberet eſſe, ſi quis calefacere animos vellet. Vt autem verè calefiant animi, neceſſe eſſet addere ſemper ignibus ignes, veluti cum ferrum officinæ feruefaciunt. Quòd ſi non in duas tantummodo partes diuidemus orationem, ſed tertiam item, et quartam addemus, ſicuti ſolenne fuit Grana-

tenſi,

*tenſi, frigidior etiam fiet oratio, minuſque roboris ad perſuadendum habebit, et conceptus iam antea calor extinguetur. Sunt qui damnent in eius viri ſcriptis iterata frequenter eadem et repetita; quam ſanè conſuetudinem redeundi ſæpius ad rem vnam, haud quaquam ego magnoperè probandam puto. Sed fortaſſe id ille faciebat ea ratione, quò magis inhærerent animis nonnulla, quæ præ cæteris perſuadere volebat, atque vt oratio plus etiam auctoritatis haberet, ſi ex intimo deprompta ſenſu videretur. Id principi oratorum Demoſtheni tantopere placuit, vt non ſolùm argumenta, ſed verba multis locis eadem repeeriantur. Ego potiùs deſiderauerim in Granatenſi acrimoniæ plus, et artis, quam certè adhibebat in principio concionum, et fine. Sunt enim hæ duæ partes orationis magni momenti, de quo vir quidam eximius cùm loqueretur, dixit aliquando mihi, ſe, quoties texeret epigrammata, primùm habere curam incipiendi carminis, et concludendi, antequam cætera meditaretur. Obijt Aluyſius Granatenſis aliquantò poſt Sancti Caroli diſceſſum ex hac vita; quo tempore concionabatur adhuc Romæ Marcellinus, numquam intermiſſo per multos annos curſu. Rara in eo concionatore laus fuit, quòd in ipſo exactæ ætatis termino præclarè dicebat, vt ſemper antea; nec im-*

Granatenſis obitus.

Marcellinus Côcionator.

*imminuerat eloquentiam ſenectus; eratque præcipua felicitas in eius oratione, quòd ſumma familiaritate vtebatur ita, vt nihil amitteret ex decoro. Valet ſanè plurimum ad perſuadendum ea familiaritas. Nam inſtar hominis amiciſsimi, facilè in animi partes intimas accipitur, auditurque libenter, cùm alioqui pompa ſolennis oratorum, velut aduena dubiæ fidei, terreat inſidiarum metu, ſuſpenſaque cunctatione in animum admittatur. Verùm, ſi tanta illa virtus orationis eſſet coniuncta cum ineptijs, et vanitate multa, nomen omnino ſuum amitteret; mutataque repente natura, pro ſimplicitate, et candore quodam ingenuo, inſcitia, et ſtupor haberetur. Vt lepidi viderentur, atque, vt hanc populo comitatem oſtentarent, conuertêre ſeſe nonnulli concionatores ad latitantem in ſuggeſtu fraterculum, eique facetè aliquid dixere; vel etiam rogauerunt auditores, vt vellent eleemoſynæ nomine conferre nummulos, ad tunicam ei ſcilicet coemendam. Id quàm turpiter, et ineptè fiat, intelligere omnes poſſunt. Ne illa quidem dignitatem habent, memorare valetudinis incommoda, et quaſdam ſui corporis calamitates, grauedinem quoque, ac pituitam; quaſi verò non appareret id malum, etiam tacente ipſo. Nimium eſt hoc familiaritatis in concion , potiùſque reſeruabuntur huiuſmodi*

Concionatorum ineptiæ.

modi querimoniæ ſecreto ſermoni, et amici cuiuſpiam auribus. Non decet proximæ noctis narrare iactationem, et inquietas atque vigiles horas; tum dicere, corpus eſſe ſibi neutrum, hoc eſt, magis extra morbos, quàm cum bona valetudine; tamquam ſcilicet in aliquo medicorum hominum conſeſſu diſputaremus. Nollem etiam, deſcenderet concionator ad eam vanitatem, vt ſuæ valetudini, vel recuperandæ, vel conſeruandæ, vota et preces auditorum imploraret; ſignificabit enim ea res, nimiùm hominem placere ſibi, atque perſuaſum habere quòd alijs itē placeat, et magnæ curæ populo ſit ipſius vita. Ita non effugiet ſuſpicionem animi, vel effeminati, vel arrogantis. Et quia, ſicuti ſapientiſſimi veterum affirmauere, anceps atque periculoſa eſt omnis de ſe, ſuiſque rebus oratio; ideo concionatori ſuaderem, vt in illo publico loco, nullum vmquam eiuſmodi ſermonem inferret. Non dicet igitur: Anaſtaſio mihi nomen eſt inter fratres. Natus ſum in hac, vel illa patria. Hoc, illudve monaſterium, vt plurimum, incolumus. Bononiæ, Parmæ, Senis hanc ipſam concionandi artem factitaui. Vicies iam hunc quadrageſimæ curſum exegi; et nunc annos impleo quaterdenos ætatis. Hæc enim erunt argumenta leuitatis, atque philautiæ: ſimul indicabunt magnum contemptum eorum, qui adſunt, quippe

cùm

*cùm loqui videantur apud eos, qui negotij nihil aliud habentes, talibus vacare nugis et ineptijs poßint. Erit illud quoque cauendum concionatori modeſto, ne quam inſtituat narrationem, aut de futuræ quadrageſimæ concionibus, aut de præteritarum fortuna, iactando qui ſibi ſuggeſtus paretur, aut quàm fuerit alibi cultus omni beneuolentiæ ſignifiatione. Videbitur enim, aut gloriari rebus illis intemperanter, aut tacitè quippiam auditoribus exprobrare. Ne iactet item, ſe vidiſſe multorum vrbes, et mores: ne terrarum dominos amicitia familiari coniunctos habuiſſe, diuque verſatos in aula ſcire quid fiat ibi. Dedecent enim ea Verbi Dei concionatorem; ac tantò magis dedecent, abrogantque fidem, ſi, qui dicit, religioſam intra clauſtra vitam profiteatur, quam oportet admodum eſſe ſolitariam; et homines illos in ſuo receſſu latitaſſe procul ab omni celebritate et frequentia libenter audiemus.*

*Licebit hoc loco priſcorum conſiderare prudentiam, et mirari, quæ modeſta fuit adeo, vt de ſe vix vnquam loquerentur. Non Homero, non Liuio, tanto in poemate, totque libris hiſtoriarum ſuum inſerere nomen placuit. Iſti verò non animaduertunt leuißimi concionatores, obſcuri nominis indicium eße, cùm aliquis neceſſe habet præfari de ſe ipſo, quò libentiùs audiatur. Id*

Homeri, & Liuij modeſtia.

enim

*enim nihil eſt aliud, quàm fateri ſe nouum hominem, et antea notum nemini. Hæc tanta Marcellini familiaritas in dicendo, qua ille prudenter vtebatur, popularem, atque ſimpliciſsimam, et ideo gratiſsimam omnibus efficiebat orationem; ac fortaſſe demiſſa nimiùm videretur, et quotidiana, niſi veneranda ſenectus eam, et viri fama ſubleuaret. Poterat ille ſine vlla reprehenſione ac vitio in poſterũ diem auditores inuitare, eoſque ſic alloqui. Craſtino die concio nobis erit huius argumenti, vel illius: cauete, ne tantì ſit vlla res, quæ vos abducat. Ea denuntiatio, et ille mos inuitandi nequaquam fuerit in alijs magnopere laudandus. Concionatori, poſtquam multum increuit auctoritatis, pleraque conceduntur, ſicut etiam in Alphonſo Lupo, de quo iam eſt dictum, poterat facilè tolerari, ſi, cùm in medio concionis impetu, ac feruore quoſdam, vt fit, videret abeuntes, eoſque mali Dæmonis inſtinctu crederet auferri, redirent, inclamaret haud ſine nutibus, et brachiorum ſignificatione. Illi verò, quaſi reuocante Deo, conuertebant repente gradum, et ſtabant auribus attentis accipientes ea, quæ dicerentur, veluti dictata concionatori diuinitus ad vtilitatem ſuam. Sunt alia quoque familiariſsimæ orationis bona, ſed præcipuum atque ſummum illud, quod ſuſpicionem diuturnæ meditationis*

Marcellini familiaritas in dicendo.

Alphonſi Lupi auctoritas.

*auertit, et credunt auditores excogitari tunc ea, quæ pronuntiantur. Ideo Demoſthenes ille, cui ſummam eloquentiæ laudem Græcia conceſsit, in oratione, qua legationem arguit ementitam, ſic ait. Dico, Iudices, omnia, quæ mihi veniunt in mentem; ac parum abfuit, quin excideret illud, in quo plus erat momenti. Si dicentur hæc, et alia prudenter, et opportunè, fuerintque ponderata maturo iudicio, magnam addent orationi noſtræ maieſtatem, et altè animis inſidebunt: ſed ne relinquamus interea locum ei ſuſpicioni, deeſſe verba, labare memoriam, neque potuiſſe ſplendidius, maiuſve quidquam à nobis afferri. Præſertim autem in animorum permotione vtilis erit hæc orationis forma; cùmque locum eum attigerit orator, demittat ſe ſe quantum poterit ad familiarem domeſticumque ſermonem, pompam verò negligat eam, quæ propria eſt oratorum. Muſicæ artis homines inſtrumenta putant optima, quorum extremæ partes inter ſe diſsitæ quàm longiſsimè, cohæreant tamen, ac veluti conſpirent ad iucundum et ſuaue melos. Non diſsimilis erit in hoc humili genere boni concionatoris oratio; quam tamen ſi quis oratoria illa, et continuata maieſtate putabit eſſe faciliorem, errabit. Ego genus vtrumque poſuerim in eo diſcrimine, quo natandi periculum, et nauigandi ſecuritatem*

Demoſthenis artificium.

in

*in altò; vt ſimili planè ratione ſit difficilior hæc orationis forma, quàm illa, ſi tamen dignitatis ac decori leges interea cuſtodiantur. In hac domeſticæ locutionis facultate Græci Latinis antecellunt. Eorum enim ita fluit oratio, vt non arte facta, ſed ex humana mente nata eſſe videatur. Nihil tumidum aut elatum, nihil afferunt ambitioſum, et inane; fuitque tanta ſemper huic genti familiaritas in dicendo, vt princeps inter eos eloquentiæ eloquentis nomen recuſaret; et ſæpe polliceretur auditoribus, locuturum eſſe neceſſaria tantùm, et quàm ſimpliciſsimè, ſine arte prorſus vlla. Hæc adeo ſincera et ſimplex oratio Marcellini faciebat, vt narrationes illius exiſterent perelegantes, et amœnæ. Non vtebatur in ipſa narratione figuris illuſtribus, quas concionatorum vulgus adhibere conſueuit, ſed maximè naturali et nuda perſpicuitate, quæ tamen contineret eximiam artem, et interiora præcepta narrandi. Summum huius oratorij muneris magiſtrum arbitror Homerum fuiſſe, quem ad plurima ſequi ducem poterunt oratores Chriſtiani, omittendo tamen ea, quæ fert conſuetudo carminis, et nota illa poetarum licentia. Placidum hoc dicendi genus proſequebatur idem actione moderata, nec ardenter, et concitatè quidquam, ſed omnia leniter, et manſuetè pronuntiabat; veluti ſi pater filium erudiret.*

Demoſth. Orat. de Claſſibus, & Orat. in Aphobum.

Homerus narrãdi magiſter.

ret. *Fortaſſe quiſpiam exiſtimare poſſet, minus eſſe difficultatis et laboris in hac humili manſuetaque lenitate, quàm ſuſcipiatur illis, qui magnum impetum orationis, et magnam verborum copiam ſequuntur. Sed concionandi, et natandi quandam eſſe ſimilitudinem animaduerto. Non enim iudicabimus, illum artificiosè natitaſſe, qui iactando multum brachia, et pedes, atque caput anxiè torquendo, feratur nihilominus ad gurgitis ima, grauante corporis mole, ſed natatoribus demum acclamabimus illis, qui leni pulſu præcidere vndas ſciant, atque poſt multiplices gyros, euadent incolumes in ſiccum. Ad auditorum verò iudicium, et approbationem hac tantì refert ſedata lenitas orationis, quantì refert ad picturam æſtimandam, ſi quis eam intueatur ex propinquo; ideoque tam in pingendi arte, quàm in dicendi vulgares homines non ſanè lætabuntur, ſi ſuas tabulas, orationemve ſuam videbunt examinari maturo quodam et lento iudicio. Poterit oratio rapida et concitata æquiparari luminibus, quibus pictores aliqui figuras inuoluunt, non vt tantò plus artis oſtentent, ſed vt tegant vitia. Horum vanitati, et inſcitiæ ſubiratus Michael Angelus ridens amarum, aiebat: cum tibi defuerit ars, atque iudicium in pingendo, retundas lumina, et obſcures. Sunt etiam qui*

Similitudo ex natandi arte.

Michaelis Angeli dictum.

*nul-*

*nullum animo ſedato finem inueniant orationi, magnoque ſemper impetu præcipitent et ardeſcant; nec tamen id erit efficacius ad perſuadendum, quàm ſi lenitate uterentur, et occulta quadam arte. Itaque ſcire oportet, orationis extrema, tum voce, tum geſtu, tum ob res quoque magis ipſas, multum habere difficultatis et negotij, vt commodè, ac rectè pronuntientur. Si meditata nimiùm erit pronuntiatio ſic, vt ad verbum omnia videare didiciſſe, ſuperiora quoque vigorem amittent, et minuta illa diligentia vilis erit auditori. Sin autem temere, ac perturbatè perorabis, diſcedeſque cum ira, et feſtinatione, ſapor quidam ingratus animis relinquetur; quod magnopere eſſe cauendum puto. Tertia quadam erit igitur via perorandi, ſi videlicet ita pronuntiabis, vt credant auditores excogitari ſententias, et componi verba eo temporis momento, quo etiam efferuntur; atque cùm alia multa dicenda ſuperſint, velle tamen ibi conſiſtere. Id optimè procedet, ſi verba ſuſpendentur ad eum modum, ne ſtatim intelligatur in quo velis articulo dicendi finem facere; tum modico reſpiretur ſilentio, cùm fueris inibi, vt velis abire, vt in pedes exurgere, vt populum expiare crucis nota. Equidem video fore nonnullos, quibus leuia hæc et inania videantur eſſe, ſed cùm experiamur*

Perorationis leges.

*omnibus*

*omnibus horis, quantum interſit ad perſuadendum, variare actionem, et opportunè moderari, et in fine præſertim, vbi victoriæ ſpes omnis poſita eſt, nimirum ea res poterit hanc noſtram in præcipiendo ſolicitudinem excuſare. Aliqui tantopere laborant in oratione concludenda, vt dicant tertio quoque verbo: Iam iam exitus aderit: Tantillum adhuc habeo quod exponam: Eſtote in hoc vnum attenti, deinde ire domos licebit. Nempe tamquam ludi magiſter aliquis ſpem faceret pueris eos dimittendi. Si quis ita loquetur, credent auditores, ſuſpectam haud dubiè ipſorum eſſe patientiam, et religionem in audiendo; vel etiam putabunt ea dici, quia ſuæ tenuitatis conſcius ipſe concionator, placere ſe poſſe diffidat; quod quantum imminuat, immo tollat exiſtimationem, ſatis explicari non poteſt. Pariter, ac fortaſſe grauiùs errant qui cùm ad primæ partis deuenere finem, incipiunt diſputare de præfiniti temporis ſpatio, an ſcilicet exierit hora, nec ne, contenduntque, reliquum adhuc eſſe quadrantem, et quaſi non ſit ipſis habenda fides, adiunctum ſibi ſocium teſtantur tanta interim anxietate et contentione, vt parum abſit, quin, ſumpta in manum clepſydra, conuincere populum conentur; quod ipſum narratur aliquando contigiſſe. Non igitur deerat ars Marcellino, qua lau-*

Ineptiæ Concionatorum in peroratione.

*laudabiliter et ſcitè finem imponeret orationi; planèque diceres, artis eius eſſe principem, et magiſtrum. Ab eo quamuis omnis fucus, et phaleræ inanes abeſſent, non aberat puriſsimi ſermonis elegantia, ſuauitaſque pronuntiandi. Quæ duæ partes etiam ſi quid ab ipſo mediocriter diceretur, illuſtrabant. Adiuuerat ſanè hominem elegantia patrij ſoli, cùm natus eſſet in Etruria, ſed ad illud natalis terræ munus, ipſius quoque acceſſiſſe ſtudium et diligentiam animaduertebant eius linguæ periti. Non potuit aſſequi parem Etruſci ſermonis gloriam alius pari fama concionator, quem ætas eadem tulit, florente adhuc Marcellino, celebrem et laudatum. Is fuit Matthias Bellintanus, qui vim et vbertatem inuentionis retinuit etiam in præcipiti ſenecta raro munere, cùm ætas infelix illa omnem ex animo noſtro dicendi vim atque copiam exhaurire videatur. Magna res eſt, et maior fortaſſe, quàm credi poſſit, inuentio, cùm pauciſsimi reperiantur ex omni memoria, qui meruerint eam laudem; cùmque appareat, ingentia volumina, quæ circumferuntur magno nomine et fama, vix quidquam habitura de proprio et ſuo, ſi ſuccus ex illis inuentionis exprimeretur. Nihil tamen dixit vnquam Bellintanus, quod abditum magnopere, aut exquiſitum eſſet; eratque copia magis et vbertate,*

Marcellinus in Etruria natus.

Matthias Bellintanus.

*quàm*

*quàm excellentia, et acumine inuentionis admirandus. Acceſſerat ad eam inueniendi facilitatem labor aſsiduus, et incredibile ſtudium tanto progreſſu, vt, cùm ſcripta quædam illius minimè vulgari doctrina vir inſpexiſſet, admiraretur nouum in homine diuinarum Litterarum vſum, infinitamque memoriam, atque inciperet ſuſpicari nequaquam vti naturæ muneribus eum, ſed aliquid profectò maius et excelſius habere. Cùm autem plus pituitæ, quàm bilis redundaret in eius corpore, ſequebatur hanc naturæ temperationem actio; quieta nimirum, et ſubſiſtens aliquando cum ea grauitate, quæ dignitatis ac decori multum haberet. Monendi ratio erat quædam illius apta naturali modeſtiæ ſimul, et continuata per concionem vniuerſam. Ego profectò non video quid ſit cauſæ, cur minimè moueant oratores illi, qui machinas in id ipſum violenter omnes adhibere volunt; curve dulcedo maior animis oriatur ex illius aſpectu, cuius pectus appareat interioribus lacrymis, et mœrore cumulatum, quàm ex illius,*

Cur plerique nõ moueant.

*qui vim effundat lacrymarum. Eſt fortaſſe motus quidam animi calor, et quædam ignea vis admota pectoribus auditorum, quæ, ſi vehementius exarſit pro fœcunditate, affert incendia. Memini ego, cùm anniuerſariam de Chriſti morte ſexta feria concionem audirem, oratorem vnum*

tenero,

*tenero, ac lamentabili ſono narrationem inſtituiſſe, quam ad extremum ferè perduxit amplificando leuiter, nihil exaggerando, ſed in fine dicendi modeſtum quendam impetum addidit, quo præparatæ iam mentes auditorum in magnos fletus erupere. Concio fuit illa propemodum hiſtorico more, quamuis obiurgaret breuiter interdum, aut admoneret; attulitque delectationem incredibilem animis ordo rerum, et oratoris ipſius prudentia. Equidem haud ambigo, quin futura ſit omnibus ingrata ſatietas, ſi petatur ex loco ſemper eodem affectus, et cùm vna velut armatura prodeat ſemper orator ad permiſcendos animos auditorum. Pro rerum, et argumentorum varietate, varius ille quoque ſit, oportet; atque ideo faciunt inconſultè, qui tota ſemper oratione vociferantur; quaſi nimirum ex omnibus perturbationibus ira tantùm illis obtigiſſet, eſſentque ſimiles eorum, quibus gratiſſima eſt voluptas tumultuari cum ſeruis, et implere domos clamore. Si cauſa vlla poſſet afferri, cur plena furoris actio, flagrantiſſima verba, voxque modò flebilis et tremula; modò interrupta et rauca propinquante fletu, non commoueat auditores, id fieri dixerim ea ratione, quia ſuſpicari poſſunt homines fingi omnia, vel conſuetudine, vel arte, communemque legem oratoribus eſſe, vt exclament ita et concitentur, vbi vel ad repre-*

Concio quædam hiſtorico more.

Q ben-

*hendenda vitia, vel ad finem orationis peruenere. Inde ſit, vt furioſa verba, ſtrepituſque clamoſos expectent primò, dein accipiant nullo planè motu, ac fructu; quia nimirum quandam cum terroribus eiuſmodi familiaritatem iniere, ſæpiuſque animaduertêre, fieri eadem, et dici motu corporis, et verborum tenore ſemper vno. Nec videtur ea perturbatio voluntaria, et naturalis in oratore, ſed quædam ipſius vmbra tantùm; et pro affectione ſincera et vera, quam afferri in concionem oportebat, afferri ſpeciem et ſimulachrum illius apparet. Ideo, ſimplici geſtu plus moueas interdum, quàm lacrymando multum, et ingemiſcendo. Monemur ipſi noſtro quoque ſenſu, quàm ſit animis ingrata morum diſſolutio, vox aſpera, decori contemptus; eaque ſtatim offenſio ab omni motu animum abducit. Magnopere etiam offenduntur auditores, ſi fortè deprehenderunt aliquid in concionatore fictum et adſimulatum; ſi pietatem oſtentare maiorem velit, quàm alat intus; ſi anhelet fruſtra; ſi languentem ſe et defeſſum eſſe ſimulet; ſi altè ducat ſuſpiria; ſi gemebunda dicat voce, ſiccis tamen oculis; ſi conetur euincere ſeipſum in lacrymas, quas animus neget; ſi demum ferueat, ardeatque totus calore quodam ementito. Hæc omnia vitabit orator Chriſtianus, quem veritas nuda, quem ſeueri*

Ficta, & adſimulata in Concionatore.

*mores*

*mores decent. Minimè dubium eſt, quin mouendi cauſa, magnos hominum conatus viderit ætas noſtra, nec voce ſolum, et geſtu, ſed cum multa quoque fierent in illo ſuperiore loco abſurda pene nouitate. Aſcendit aliquis in ſuggeſtum, et margine ſtatim apprehenſo, ſic cœpit:* In deſertum: In deſertum: In deſertum. *Non credidere auditores impetum eum repentinum exiſtere potuiſſe ſolo ſpiritus feruore; viſuſque eſt magis aliquanto ſeſe commouiſſe concionator in geſtu, quàm animo eſſe commotus videretur; nec in reliqua deinde concione par impetus fuit. Ideo, non ſatis erit in principio tantum adhibere perturbationum locos, ſed vrgendi diutiùs erunt, certumque ſpatium eſſe debebit intimi affectus et ſinceri. Neque concionatori tranſiliendum erit vnquam à lacrymis ad priſtinum curſum orationis. Poſſunt quidem oculi nobis repente madere fletu, cùm aliqua ſubita perturbatione miſcetur animus noſter, ſed non pari deinde facilitate dolor, et ipſa cauſa fletus abibit; alioqui non veræ fuerint lacrymæ, ſed quædam earum imitatio. Nec ideò, quia populus delectatur interdum ſpecie rerum, omnibus eorum ſtudijs obtemperare debemus. Quippe vellent etiam audire facetiarum aliquid, et leporum, amarentquè fabulas, ac ſi quis eas adſpergeret concioni, rem* Concionator nõ debet ſeruire auribus.

*eſſe iucundiſſimam arbitrarentur. Numquam id vitij fuit Bellintano, qui ſuam cuſtodiuit ad extremum vſque grauitatem; et animaduertêre homines piè curioſi, numquam eum deſcendiſſe illuc, vt ſuos ipſe caſus memoraret. Hæc de ſe narratio tantò magis erit euitanda, quantò videbitur eſſe durior, et quò plus habebit ex imitatione mendacij, vel commenti, qualis fuit illa cuiuſdam. Cùm enim dixiſſet, morientem Chriſtum legaſſe Sponſæ, quæ erat Eccleſia, ſanctiſſimi Sacramenti annulum, et gemmam, cœpit abſurdè narrare quid vidiſſet ipſe, dum quidam ad extremi ſupplicij locum duceretur; vxorem ſcilicet illius, non antea potuiſſe lacrymari, quàm annulum eſſet contemplata, quem ſibi coniux ex itinere illo funeſto tranſmiſiſſet. Longè foret vtilius ab idoneis peti ſcriptoribus hæc exempla, notando locum etiam ipſum vndè peterentur, non autem noſtra tantùm auctoritate confirmari. Nec ſanè eſt alia cauſa, cur afferendo ſacrarum litterarum auctoritates, cæteraque paſſim teſtimonia, caput, atque adeo verſiculum adſignemus, quàm vt faciliùs auditores credant. Ideo, non oportet mirari, ſi ſtomachantur multi, cùm ex homine, cuius numquam antea fortaſſe videre vultum, audiunt noua quædam, et abſurda, et minimè conſentanea vero. Id quoque tenuit ſemper ma-*

Abſurdum commentum Concionatoris.

gna

*gna ſeueritate Bellintanus, ne quam in ſuggeſtu comis et iucundi, lætique animi ſignificationem daret; quod faciunt plerique concionatores improuidè nonnumquam, vel geſtu aliquo, vel verbo, idque propter habitum, quem ex quotidiana conſuetudine contraxere. Maneat igitur, geſtus omnes, et actionem oratoriam vniuerſam optimam fore, ſi fuerit grauis, et moderata, neque peccauerit in extremis. Id tantì fuit apud antiquos, vt Ariſtoteles, quem ſummum credere rhetorem licet, nullam aliam, quàm vocis admiſiſſe actionem videatur, illiuſque tantùm meminerit inter præcepta. Plutarchus verò, tamquam admiretur, narrat, hunc morem fuiſſe Pericli, vt brachium exereret palliolo; neque tamen eſt dubitandum, quin veterum in perſuadendo vim et efficaciam noſtræ nunc artes æquare non poſſint.* (Actio grauis, & moderata.)

*Vltimo nunc loco de Franciſci Toleti concionibus expediam. Fuit is haud dubiè concionatorum vltimus, quamuis ad ætatem vſque noſtram dixerit magno nomine et fama. Nam etſi ſuperſtes ei Bellintanus fuit, floruitque ipſe tum ingenio, tum inuentione ſingulari, fregerat tamen longæua ſenectus vires hominis; nec iam obtinebat illius oratio ſplendorem eum, quem melioribus annis habuiſſet. De hoc Toleto fuerit inſtar compendij, ſi dicam, concionatorem eum aſſiduum per multos* (Franciſcus Toletus.)

*annos*

Toletus pontifici, Cardinalibusque Côcionator.

*annos fuiſſe Pontifici, Cardinaliumque Senatui; cùmque in illa Vrbe flos virorum et dicenti ſemper adeſſet, numquam auditum eſſe cum tædio. Fortaſſe aliquis dicet, quòd rarò admodum concionaretur, quòdque mutaret ſæpius auditores Urbs inclyta, id remedium fuiſſe ſatietati. Sed magis arbitror poſſe dici, placuiſſe ſemper eum, quòd in omni foret oratione ſerius, et grauis, idemque varius, et cum nouo ſemper argumento. Ab eo procul aberant inania, et fucata, quæ viri prudentis animum offendunt, ſicut nimia cibi ſuauitas ingrata erit ſtomacho, quem acria nonnihil, et amara confirmant. Obiurgationes ipſius, et monita ſpectabant mores tantùm, et vitam eorum, qui præſentes aderant: communia, et aliena non attingebat; eaque nimirum etiam erat cauſa, cur audiretur libentiſſimè. Videtur autem munus hoc illi proprium obtigiſſe, vt in tractatione ſingularium excelleret; idque, ſicut opinor, fiebat, quia rerum humanarum vſu ſimul, et omni litterarum varietate erat ſatis inſtructus. Sententiæ tamen ipſius fuerunt magis veræ, quàm raræ et exquiſitæ; magiſque vtiles ac ſanæ, quàm iucundæ. Genus dicendi minimè varium erat, ſed punctis quibuſdam inſiſtens, atque diuiſionibus, ad eum ferè modum, quem placuiſſe Catoni Marcus Tullius teſtatur; inuentioneque*

Toleti proprium munus.

*fuit*

*fuit exili; corporis motus iuxta quietem animi; oculi viuaces, et intra modum auſteri. Poſtea, cùm in Patrum numerum eſſet cooptatus, neque deſineret artem, nequaquam omnibus viſus eſt ſatisfeciſſe. Non erat ea maieſtas homini, quæ rectè cum purpura coniungeretur: ideoque placuiſſe iam minùs eum credidere. Potuit facilè Toletus exemplo ſuo demonſtrare quantum interſit ad conſequendam eloquentiæ gloriam vſus rerum. Ego, cùm eum audiuiſſem, ita ſum captus admiratione viri, vt crederem nihil vltra poſſe deſiderari, quamuis Italicè loqui non ſatis illi foret expeditum. Arguit ea res vecordiam leuitatemque nonnullorum, qui conſumunt in verborum floſculis ætatem, quos poſtea multitudini venditare poßint. Apparet enim abſque verborum pompa fuiſſe magnos oratores; quod eloquentiæ genus etiam in Antonio antiquitas eſt admirata. Simul apparet eſſe quædam eloquentiæ genera, ita vt in ſuo quiſque genere poßit ad ſummum peruenire. Sequitur alius copiam, et impetum orationis; ſuauitatem alius, acrimoniam, ſententias, maturitatem, et Suadæ medullam. Alij valuere celeritate; nonnulli mora, et argumentorum, aut enthymematum haſtis. An verò Thucydides, et Demoſthenes, et Cæſar, et Salluſtius, et Cato, quia non fuere ſimiles Hortenſio, vel*

Auctoris de Toleto iudicium.

*Ciceroni,*

*Ciceroni, minorem in ſcribendo famam obtinebunt? Breuis igitur erat Toletus, et quendam oſtendebat in ipſa breuitate candorem animi, qui veluti perſuaſionis erat telum. Breuitas artificioſa, quæ ſcilicet omnes cauſæ neceßitates attingit, haud abſimilis eſt ei pictorum arti, quæ vaſta gygantum corpora colligit atque contrahit anguſto ſinu; ita vt ſtatim oculi dimetiantur, atque intelligant molem, nec eſſe pumilionem credant. Quòd verò ad ſimplicitatem attinet orationis, non poſſum vim ſatis illius admirari, cùm videam principem eloquentiæ Demoſthenem innumeris pene locis huic ſtudere ſimplicitati, artemque dißimulare paſſim arte ſumma. At longè ante Demoſthenis ætatem, amicus ille Iobi, qui poſt res illius immutatas, tam commodè eſt affatus afflictum, primum omnium affirmauit, orationem fore ſimplicißimam, quæ poſtea tamen artificium omne continebat. Vellem, vt Titianum plerique concionatores imitarentur, quem narrant, vbi tabulas illas abſoluiſſet nullo venales auro, ſolitum fuiſſe diligentiæ contemptu, eaſdem illudere pennicillo, rudeſque ductus addere, qui tegerent artem, ac ſua velut iniuria gratiam operis illuſtrarent. Non ſic illi, qui captant eloquentiæ famam in ſuggeſtu, tumentque ſuperbia, et inflati cernuntur opinione ſui. Cæterùm, Toleti*

Toleti breuitas artificioſa.

Titiani artificiũ.

*non*

*non erat oratio adeo humilis et abiecta, vt careret apta partium dimenſione, et decoro; atque in eo quidem nonnihil eſt viſus ex Demoſthenis habuiſſe conſuetudine, quem legimus in principijs orationum exilem, in concertationibus acri breuitate, vbi verò victos perſuaſione teneret animos Iudicum, vltra quàm credi poßit, audacter exultare ſolitum fuiſſe. Ita penetrabat animos Toletus argumentorum, et enthymematum violentia, quibus in illo ſimplici genere frequenter admodum vtebatur, vt vulgò numeraretur inter dicendi artifices et magiſtros. Ego quoque permotus ea fama, cùm ad meum hoc paſtorale munus proficiſcerer, viderem que parari mihi concionandi neceßitatem, vltro virum adij, et rogaui, ne grauaretur aliquid ex inſtituto ſuo me admonere, quò ſcilicet vtiliùs concionarer. Tunc ille, ne longior vnquam eſſem; neve accederem ad dicendum imparatus: cùm hæc duo tantùm admonuiſſet, reticuit. Volueram ego ſanè ex tanti viri prudentia pluribus erudiri, neque deſtiti id ipſum efflagitare, ſed ab homine modeſtißimo non impetraui. Poſtea, coactus officij munere, ſimul etiam vt ſatisfacerem huic tantæ vrbis populo, qui, cùm recens adhuc viueret memoria Sancti Caroli, vocem illius ex me requirebat, neceſſe habui concionari ſatis frequenter. Quòd ſi aliquid in*

Argumentorum, & Enthymematum violentia in Toleto.

Auctoris de ſe ipſo narratio.

*hoc negotio fortaſſe mediocriter vnquam egi, neſcio, fuerimne labore diuturno id ipſum aſſecu-tus, an aliquo naturæ munere. Non eſt eius perſonæ, quam ſuſtinemus, id iudicare. Sed ſtatui hoc loco reſpondere nonnullis probis hominibus amicis meis, qui me ſcilicet accuſant amanter et modeſtè, quòd, cùm in cæteris ferè artibus ac diſciplinis, quæ digne ſunt homine libero, prodeſſe voluerim excellentibus ingenijs, ad hanc dicendi artem neminem incitauerim, ac prope de indu-ſtria viſus fuerim occultare bonum illud, quod nullo meo detrimento potuiſſem alijs impertiri.*

Eloquentia quid requirat.

*Nimiùm magna res eſt eloquentia, nimiùmque ſunt ardua, quæ requirit in illis, qui tantum aſſe-qui decus concupiuere. Non enim contenta eſt ingenio, vel excellenti, vel maturo, vel docili ad omnem ſcientiam, et diſciplinam, ſed præter iu-dicij maturitatem, et acumen ingenij, requirit ſpiritus acres, et celeres, et violentos. Ingentem animum, alta conſilia, nouarum rerum inuentio-nem, verborum flumen, facilitatem, atque ſplen-dorem orationis oportet eſſe in eo, qui ſe dici elo-quentem velit. Tum actionis varietate, tum di-gnitate vultus, memoria, voce, pronuntiatione, decoro, et verſatili ad omnes animi motus gra-tia ſuſtineat id nomen. Hæc autem omnia, ſiue naturæ, ſiue artis munera, quàm difficile ſit, vt*

con-

*coniuncta in multis hominibus exiſtant, facilè in-intelligere quilibet poteſt. Quamobrem ita ſtatuo, in cæteris artibus, ac diſciplinis magnam copiam excellentium ingeniorum poſſe reperiri, in hac autem oratoria facultate tot annorum curſu, vix vnum, aut alterum inuentos eſſe mihi, quos huic negotio eſſe aptos iudicarem. Sed occulta quadam, et fatali prope calamitate factum eſt, vt varijs humanarum rerum caſibus abriperentur à recto tramite melioribus annis; neque cognoſcendi latentem in animo ſuo theſaurum facultas eis eſt data.*

# DE SACRIS NOSTRORVM TEMPORVM ORATORIBVS

## *LIBER QVARTVS.*

*QVARTVM nunc librum inchoabo, et promiſſi fidem exſoluam, quo pollicitus ſum, de noſtræ concionatoribus ætatis eſſe me acturum, quamuis alioqui pars hæc operis noſtri non præbeat eam occaſionem, vt eloquentia certorum hominum examinetur tam conciſè ac minutè, ſicuti tribus antea libris eſt factum. Cæterùm, exiſtimo poſſe commodiùs horum temporum explicari conditionem, et habitum, atque formam orationis, complures amplectendo communiter, quàm ſi de hoc, aut de illo priuatim agerem. Apparet enim vnam omnibus eſſe curam, vt afferant*

*acutè*

acutè dicta, et acria multa, et peregrina, quamuis nullo ſatis vinculo connexa inter ſe et apta. Magna vtique pulcherrimarum rerum copia verſata eſt in ſuggeſtu tam hac ætate, quàm ſuperioribus annis; inueniendoque plurima, et excogitando, concionatores ingenij ſui lumen oſtenderunt, relicta interim procemiorum, et coaceruationum vanitate, narratione quoque fabellarũ, et oſtentatione memoriæ, quibus antea vitijs nimiùm ſæpe fœdabatur diuini ſermonis maieſtas. Verùm ego prope affirmauerim, vocem eam, quæ nobis eſt in ore, quotieſcumque conceptam animo ſententiam dicere volumus, vix vſquam apud maiores reperiri, eorumque neminem vſum ipſo conceptus vocabulo, quomodo vulgò nunc vtimur. Corpus enim ipſi reſpiciebant vniuerſum, non partes minutas orationis, et ſequebantur tamquam in ædificio formam et modum cum ratione, et arte, non autem lapides, et cæmenta, ſicuti fors tulerat, congerebant. Structura cordi veteribus erat, non rudis indigeſtaque penè materies; et, vt paucis expediam, magis ex arte ſententias, quàm è ſententijs artem hauſere: acciditque ſimile quiddam illis, quod in ædium fabrica prudentia cauet architectorum. Volunt enim exiſtere ſplendorem, et opportunitatem ex artificioſa deſcriptione potiùs, quàm vt commo-

Veterum Oratorum cura.

di-

*ditates ipſa graphidem regant. Pictores item artis ſummam in eo eſse ſitam volunt, ut inuenire, ut animare pennicillo figuras poſſint. Veniunt ad audiendum interdum aliqui tanta grata varietatis cupidine, ut infantem atque mediocriter tinctum litteris ducant eſſe concionatorem, qui congeriem non effuderit eiuſmodi ornamentorum diſſolutam et carentem ordine, quò numerari commodiùs, et conſtitui velut in digitis poßint; ac dicent etiam arbitratu ſuo, quempiam non eſſe conceptuoſum: id ipſi vocabulum reperere. Non credunt horum hominum oculi, ſumma ratione conſtructas ædes tantum lapidum continere, quantum utique continebunt; ac ſi materiem eam in area diſperſam atque ſtratam humi contemplarentur, nunquam exiſtimarent potuiſſe totam illic inædificari. Itaque, vir ſapiens, cùm aliquando perſuaſiſſet concionatori cuidam, ut Chryſoſtomi libros attentè peruolutaret, reſponſum hoc tulit, ſurgere ipſum inanem ab eiuſmodi lectione, parumque ſententiarum in illo Scriptore reperiri. Fit hoc ob eam cauſam, quia funditus perdidere ſtomachum et palatum, et oratorij artificij nullum ideo guſtum habent; quod ſanè artificium (ut ingenuè fatear) vix ego deprehenderim in eorum aliquo, qui noſtra nunc ætate concionantur. Nihil enim faciunt aliud, quàm ut certa proponant*

Iudicium inane quorundam de eloquentia.

*nant capita, quæ vbi dialecticorum more confirmarint, aut reiecerint, tunc demum eſſe oratoris muneri ſatisfactum putant. Artificium autem illud, quod manat ex philoſophiæ fonte, quodque grauiſſimis inde præceptis ad rectè dicendum innititur, admodum paucos eſſe video, qui reſpiciant, et ſequantur. Vellem publicæ ſalutis et vtilitatis cauſa, hæc ætas haberet oratores eos, qui poſſent, ſi id tempus, et argumentum poſtularet, aptè præuertere mentes auditorum; tum obuiam ire conatibus, aduerſario nonſentiente; tum anteuenire ſi quæ tacitis animis obijciantur; latentes promouere machinas argumentorum; atque rem ipſam vel augere, vel imminuere; ſimul diuerſo interdum tramite peruenire quò velis; et cauſæ dum noceas, patrocinari; demumque triplicem illam noto diſcrimine rationem et viam ſcientiarum adhibere ita, vt dicendi ſemper forma variaretur. Hæc eſt eloquentiæ facies, quam è ſuperiore loco regnare ſemper vellem. Quia verò multi vniuerſam hanc orationis conſtitutionem, quæ velut anima ipſius eſt, magnopere non ſpectauere; ideo nimirum accidit, vt ipſorum ſcripta velut interpolata fragmentis apparerent: quaſi rubro pannum atrum aſſuentes, hinc inde mutuabantur ea, quæ dicturi erant. Ob eandem cauſam infelices in rerum*

Species eloquentiæ perfectæ.

*quoque*

*quoque diſpoſitione, quas ipſi conceptus appellant, fuere: dum ſcilicet in Euangelium aliquod admodum aliena contorquent, vecordia non abſimili atque ſi quis domino ſeruum, qui non rectè ſit cum eo compoſitus, obtrudat. Ea deformitas, idque vitium, et negligentia decori, ſæpe cernitur etiam, vbi ad ſimilitudinem fortè aliquam deuenere. Certè, nobis audientibus, dixit concionator vnus aliquando, Chriſtum, cùm repeteret mortalem hanc vitam, lucidum ex tumulo clarumque prodiſſe, ſicut hortenſe cichorium, poſtquam iacuerit aliquandiu ſepultum glebis, lætiſſimo candore niteſcat. Pudor eſt mihi referre tam inania; et niſi, cùm dicerentur, hiſce auribus hauſiſſem, numquam inducerem animum credere, tale verbum excidiſſe cuiquam. Præterea, cum illud ſapientiſſimè monuerint veteres magiſtri, ne comparationibus vnquam vteremur illis, quæ fœda poſſent animum imagine conturbare, quantò magis monerent hoc tempore, vt procul ab omni conſuetudine noſtri ſermonis abeſſent exempla, ſiue ſimilia, quæ vergerent ad impietatem, ſacrorumve contemptum? Diuinum Angelorum panem, quando proſtaret in ara mortalium oculis expoſitus, comparauit improuidus concionator orbiculatæ papyro, quæ propoſita ſagittarijs eſſet ad collineandum. Voluerat autem infelix dicere,*

Concionatorum inania dicta.

*diri-*

*dirigenda nobis in ſacratiſſimum illud corpus eſſe amoris iacula, quæ flagrarent igne. Sanè in toto ſimilium genere illud animaduerto, quamuis et legantur multa paſſim, et audiantur inuenta præclarè, pleraque tamen eorum, non ſolum eſſe deformia et indecora, ſed abhorrere plurimum etiam ab vero. Petuntur enim ex Naturæ quibuſdam arcanis, quæ latent in herbarum, aut animantium varietate, nec de viribus, aut ingenijs earum ab illis verè diſputatur; cùmque debeant res ad fidem difficillimæ, grauibus auctorum comprobari teſtimonijs, ipſi nullius interim vtuntur auctoritate; tantùm dicunt, ſic apud naturales extare, tamquam ſcilicet infinitos de rebus huiuſmodi libros ſapientiſſimi Naturæ interpretes non reliquiſſent. Sed poſſumus etiam affirmare, ſimilitudinem demum eam fore germanam, et plus habituram eſſe laudis, ac fidei, quæ petatur ex re quapiam, vel ex natura rei, nota quidem omnibus et familiari, verùm adhibita nuſquam ante aliàs ad illud explicandum, quod illuſtrare tunc orator velit. Ideo pulcherrimè deſumentur è luce, vel Sole, ſi noua et recondita, non vulgari arte id fiet. Contra verò procliues ad errorem fuerint baſiliſcus, et phœnix, et pelicanus, et ſalamandra, quæve alia celebrantur admiratione vulgi. Fortaſſe enim inquirendo altiùs et ſcru-*

Cautio in ſimilibus adhibenda.

Similitudines vndenam ſumendæ potiſſimum.

*tando, reperiemus falſam eſſe poſtea famam, et à veritate diſcrepare, quam in omnibus litteris, omnique ſermone ſummopere cuſtodiendam eſſe omnes ſciunt, ut nullo modo ferri concionatores poßint, qui peregrina ſibi et ignota paßim iactant.* Concionatorum imperitia. *Voluit aliquis olim proferre ſolenne illud;* Et tu quoque Brute fili, *quibus verbis dictator Cæſar inter extrema ferientem unà cum cæteris amicum obiurgauit: at pro eo, ſiue ipſe legiſſet oſcitanter, ſiue mendum eßet in libro, ſexies exclamauit;* Et tu quoque Brute fidis. *At alius quidam fuit, qui irriſu non minore pro Chaldæa interpretatione, Cananæam dixit. Afferunt ijdem ſæpe nonnulla, quibus magna viuacitatis, et acrimoniæ ſpecies ineſt, ac prima ſane fronte præferunt elegantiam et leporem, in receßu tamen inania prorſus et vana reperiuntur. Id præſertim accidit in diuinarum Litterarum explicatione, quandocumque locum aliquem variè conſiderandum ſumpſere. Quamuis enim habeat laudem in eo genere multimoda ſenſorum conſideratio; lex tamen ſemper vna manet, ne quid commentitium atque falſum dicamus.* Concionatorum errores in litterario ſenſu. *Nec peccatur alibi magis, quàm in litterario ſenſu, cùm ſcilicet dicuntur ea, quæ palam huic repugnant, et creberrima ſeges errorum huiuſmodi manat ex Linguarum ignoratione, quibus teſtamentum vtrumque prin-*

*cipio*

*cipio dictatum fuit. Si quis ignoret, camelum, et lacus, præter id, quod vulgata ſignificatione percipitur, eſſe funem nauticum, et vaſa, quæ ſubiecta prælo tortiuum excipiunt vinum, poterit hoc etiam hallucinandi principium eſſe. Nullum igitur poſſum expeditius huic malo remedium afferre, quàm monendo concionatores, ne de re loquantur vnquam vlla, quam non probè animo comprehenſam et intellectam habeant. Fallimur item præter vitium hoc ignorationis, alienæ nonnumquam auctoritatis fiducia, qua ſcilicet freti, fontes non adimus ipſos, ſed credentes eorum teſtimonio, qui ſe inde profitentur hauſiſſe, nos quoque poſtea dicimus, olores vltimum ſpiritum conſumere cantu, et pari leuitate ſententias recitamus ex Hieronymo, vel Auguſtino, quæ nuſquam apud ſanctiſſimos illos, et grauiſſimos auctores extabunt. Erit quoque fraudis occaſio, ſi quem locum Hebraici, vel Græci ſermonis interpretatione, ad nouam aliquam contorquere ſententiam volemus. Tunc enim fiet, vt ignari penitus earum Linguarum, verborum vim non aſſequamur, vniuſque verbi ſenſum accommodemus alteri verbo; et in ea rerum omnium confuſione pertinaciter affirmabimus, in Græco, vel Hebraico ſic haberi. Miror equidem, aliquos reperiri tam audaces, qui non dubitent, Græcas,*

Linguarum imperitia.

S 2 *Hebræaſ-*

*Hebræaſque voces vſurpare rudi ad pronuntiandum lingua; atque ita in Græco, et Hebræo ſermone Latinè loquentes, dicant ea, quæ ne peritiſſimi quidem Linguarum earum homines intelligant. Conantur etiam nouos elicere ſenſus, et myſteria quædam ex verbis; idque per inſcitiam faciunt nulla planè ratione et fundamento. Qui ſacrarum Litterarum volumina donauere latinitate, fecere ſanè laudabiliter, et nomen eorum proſequi gratis animis oportet. Nam diuini ſemen eloquij tali eorum labore latiùs in Orbem eſt diffuſum, et in omnes pene terras manauit. Sed collatum illud humano generi beneficium, et reddita Latinis Hebræa, vel Græca verba ſingulatim, fuere peruerſæ conſuetudinis initium; qua rudes Linguarum homines euertunt nunc miſerè omnia et fœdant. In hoc ſacrarum Litterarum vſu, ſunt mihi noſtri concionatores admonendi, ne certos earum locos ita conſectentur, vt reliqua tradidiſſe videantur obliuioni. Sunt qui nullam omnino texere concionem poſſint, quin è Canticorum libro paſſim inſerant multa; quem certè diuinum librum non eſſe aptum omnium animis, religio, et cautela veterum Hebræorum declarat. Non enim legebant, niſi quibus erat permiſſum: et ſunt ibi nonnulla, quæ ſi velis explicare, neceſſe habeas ad ea deuenire, quæ nolis,*

*et*

et cogaris repræſentare multa, quæ commodiùs occultarentur. Animaduertimus, alios profiteri palam, et iactare, ſibi nuſquam aliunde peti auctoritates atque teſtimonia, quàm ex Dauide, vel Salomone; qui tam arcti fines afferunt eam neceſſitatem, vt locos perperam illos interpretentur, cùm ſcilicet in anguſto poſitis opportuna teſtimonia non ſint ad manum. Nec deſunt qui reuoluantur ſemper ad eos locos, qui ſunt omnibus noti et decantati, quaſi verò lege cautum foret, ne nouum aliquem vel adhibere, vel interpretari poſſemus. Hæc ipſorum ieiunitas arguit circa ſacra monumenta ſegne ſtudium, atque negligentiam eius theſauri, cuius intimos penetrare receſſus deberent. Nec rectè faciunt, ſi qui diuinas Litteras glorientur eſſe ſibi tam faciles, vt quidquid ipſi animis deſtinauere, docta mobilitate ſequantur. Non poſſumus ibi cuncta reperire, cùm deſint multa, ſi tamen in ſuam quæque partem, et ſenſum accipere prudenter velimus. Et quia Linguarum facta iam eſt mentio, locus monet, vt notemus vitium atque corruptelam, quæ noſtra nuper ætate in conciones irrepſit. Solent enim aliqui, ſi fortè viderint in concione Gallum hominem, aut Hiſpanum, iacere in illius gratiam Gallicè, et Hiſpanicè nonnihil, eumque ludum habent. Ea quædam eſt ſpecies adulandi, quam fugere

Teſtimonia petita ſemper ex Dauide, vel Salomone.

Peruerſa nónullorum conſuetudo.

*fugere ſicuti peſtilentiam debemus: abrogat enim ſtatim oratori fidem, et auctoritatem. Italicæ Linguæ principes ſcriptis ſuis Latinas inſeruere voces aliquando, ſed neque gratificandi ſtudio, neque leuitate ludendi. Potiùs exiſtimauere plus orationem habituram eſſe dignitatis, ſi petitum ex Latio quidquam interniteret. Credo ego, monita hæc noſtra poſſe videri ſuperuacanea nonnullis, ſi reputare volent quàm multi ſint hodie concionatores egregij, qui talibus minimè præceptis indigeant; quam ego temporum noſtrorum eloquentiam magnopere gratulor ætati, et opto, vt bonorum oratorum numerus quotidie magis augeatur.*

Auctoris excuſatio.

*Sed, cùm animaduerterem difficultates verſari tantas in hac arte, nec poſſe demum omnes aſſequi ſummam eloquentiæ laudem, prolixiùs egi; neque alienum puto, poſtquam de communi temporum conditione iam ſatis eſt dictum, in reliqua deinceps huius libri parte recenſere nonnulla, quæ multum fortaſſe poterunt vtilitatis concionatoribus afferre, qui nunc viuant; habebitque pars ea non perfectam eloquentiæ diſciplinam, quam ego tradendam non ſuſcepi, ſed vitiorum inſectationem, quæ in hac dicendi facultate grauiſſimè animos offendunt.*

Eloquentiæ cum pictura comparatio.

*Ac primùm omnium aliquantò altiùs exordiar, et dicam; eloquentiæ ſemper, et picturæ ſimillimam mihi viſam eſſe rationem. Pingeban-*

*tur*

*tur antiquitus homines vno vix tantùm, aut altero colore, ita vt nudum et exangue ſimulachrum exprimeretur abſque vllo penitus actuoſo motu, qui vitæ imaginem aliquam præferret. Poſt aliquot inde ſæcula cœpere variari colores, et augeri; varioſque humani corporis habitus, et flexus inſtituit pictura repræſentare, mortalibuſque materijs hanc, quam viuimus vitam, imitari. Ac fuit poſtea tempus, cùm ars hæc ad ſummum peracta miraculo quodam auderet in muta ſimulachra ſpiritum inferre, veluti Naturæ operum æmula. Hinc Zeuſis, et Apellis, et Parraſij pene ſupra fidem portenta memorantur. Sed quid tandem eſt factum? Deuoluitur illa celeriter ætas, quæ tam præclaros artifices tulerat; et ignorantiæ tenebræ ſeſe ſuperfuderunt, et manſere diu, donec annorum memoria pellerentur, atque reuiuiſceret pictura cum luminis, et vigoris incremento. Iam verò ſimili planè ratione, primis Græcæ facundiæ temporibus inſueuerant homines veluti quaſdam inglorias ducere lineas, et colores; ac ſatis habuere, ſi nonnullam animi ſui effigiem proferrent. Mox tentauere quidam animandæ orationis vias, nec tamen planè ſunt aſſecuti. Meliùs, ac feliciùs poſterior ætas conata eſt omnem ad dicendum afferre vim et robur, omneſque veneres, et lepores, et quidquid excogitari maieſtatis*

*poſſet.*

*poſset. Sed breui periere nobiles magiſtri, eo-demque fato denſis tenebris inuoluta eſt eloquen-tia; quam tamen auguramur poſſe redire noſtris temporibus in ſuos honores; iamque fortaſſe vi-tali fruitur aura, qui ſummam huic ætati gloriam eſt allaturus, atque is felici nimium ſidere in ſpem tantam adoleſcit. Videndum nobis eſt igitur, ſi res ita ſe habeat, quonam pacto in priſtinum ſplen-dorem reſtitui poſsit ars dicendi, quæ tota conſtat ex partibus tribus. Nam, aut argumentatione, ſiue ſyllogiſmo, aut ſignificatione morum noſtro-rum, aut animos permouendo, fidem facimus ijs rebus, quæ nobis propoſitæ ſunt ad perſuaden-dum. Argumenta in omni oratione poſsunt in-ueniri, quæ nullis aduerſariorum machinis, nul-lave penitus arte conuellantur. Eſt enim ita com-paratum, vt ea, quæ credunt auditores, facilè in eorum etiam animos inſinuentur; quæ verò du-bium et anceps aliquid habent, ea tantò pluri-bus vndique muniuntur argumentis, quorum vberrima copia paſsim in ſacris libris extabit, nec ad rem vllam vnquam deſiderabimus en-thymemata. Quòd verò attinet ad eam fidem, quæ conciliatur opinione probitatis, et ſpectata mo-rum innocentia, nullus vnquam veterum orato-rum eam vitæ rationem inijt, atque ſegregauit à communi conſuetudine ſe ipſum, vt eſset æquipa-*

*randus*

*randus eorum inſtitutis, qui vinculo religionis adſtricti, publicè nos ad ſalutem vocant. Veſtis eorum horrida, et pannoſa, pallor, macies, egeſtas, abſtinentia, charitas in alios, labores irrequieti ſatis monent, ipſorum auctoritatem apud auditorum animos eſſe grauiſſimam oportere. Non igitur poteſt explicari quantum pondus hæc extrinſeca teſtimonia ſint additura illi fidei, quam oportet ex noſtra bene morata oratione prouenire. Ac reputent, quæſo, concionatores hoc loco, quàm ſint ad perſuadendum idonei, cùm aut ornati veſtimentis, aut pompa verborum inanes, vel inflati ſuperbia, vel aſperi, leues, iracundi, momento amittunt vno quidquid auctoritatis obtinere apud populum debebant. Mea certè ſic fert opinio, poſſe Chriſtianæ religionis inſtituta, ſeueritatemque, ſi modò velimus ipſi, conciliare ſtudia, et animos orationi noſtræ, ita vt ea, quæ dicemus, et credant homines, et quadam etiam veneratione proſequantur. Tertio nunc loco reliquum eſt, vt agamus de animorum motu; quam illam eſſe partem cenſeo, cuius præcipuè cauſa noſtros oporteat oratores admoneri multùm, et erudiri. Ex affectuum ſignificatione motus exiſtit. Significantur autem et exprimuntur affectus cùm dignitate, ſi diſtincta formis illuſtribus erit oratio; ſi gratiam, ſplendoremque verborum habe-*

Religio plurimū valet ad faciendam fidem.

Motus exiſtit ex affectuū ſignificatione.

T bit

*bit, in quo multos videmus laborare magis, quàm vel in reperiendis argumentis, vel in imagine probitatis exprimenda. Vir prudens inter paucos, et doctus, audiente me, ſic diſſerebat aliquando: ſi iudicium, et artem in expolienda oratione concionatores adhiberent, fore, vt mirifica quædam, et noua conſequerentur; magis enim deeſſe ornatum, et affectum illis, quàm argumenta rigida, nudamque doctrinam. Sed non ideo, quia dicendi formas in magna poſuimus gloria, debebunt aliqui conquirere ſic eas intemperanter, et ſine delectu mutuari quæcumque placuere in ſcriptis aliorum. Multa enim, quæ audaci placent nouitate, non ornamenta, ſed vitia ſunt orationis; poteruntque condonari auctorum nomini ac famæ, ſi excelluerint in hac dicendi arte, ſed imitatores ſine reprehenſione non bibunt. Eligant igitur ad imitationem optima, non rariſſima quæque; et meminerint, margaritarum id eſſe, non verborum, vt tantò pluris æſtimentur, quantò minùs occurrant. Ego verba nummis æquiparauerim, qui tunc demum placent, ſi nulla metalli, nulla ponderis lacuna paſſim apud omnes admittantur. Immo, ſi nobis altius eſſet diſputandum, contenderem, eas fore gratiſſimas formas orationis, quas prima fronte vulgus quidem è triuio petitas putet, et obuia facili-*

Viri docti iudicium de oratione expolienda.

Verba nummis æquiparata.

*facilitate viles ducat, prudentes verò ſuſpiciant animis eruditis. Optima, inquam, erunt ſcripta, quæ populus, et multitudo litteratorum intelligat, et eloquentiæ principes admirentur. Ac videmur conqueri poſſe nos Italici homines, quòd tanta generis huius ſit inopia, vt quotidiani, ac natiui ſermonis ne ſingulare quidem exemplum habeamus. Nam, ſi confugere velimus ad eas litteras, quas Etruſcæ Linguæ florem eſſe fama communis exiſtimauit, per fœda et indigna multa nobis incedendum erit prius, quàm perueniamus eò, quò ſpectat animus noſter; eritque periculum, ne variæ nobis interea ſordes adhæreſcant. Quòd ſi tamen habuerit ea lectio ſinceri aliquid et innoxij, tanta rurſus erit humilitas, vt optimi generis veluti quiſquiliæ reperiantur inutiles ad rem, ſicuti vellemus, extollendam. Etiam in ea deterrima ſumus conditione, quòd ſiue Græca peruoluas, ſiue Romana monumenta, compoſitas rectè cum argumento formas orationis animaduertes, ita vt, dum verba velis eligere, res ipſa non immutetur, quæ fuerat eorum ſedes; ideoque, dum apud Salluſtium, et Cæſarem, et Liuium hiſtorico more concionantur imperatores, tota oratio militare negotium continebit. Sed non habent eam opportunitatem Italicæ noſtræ litteræ; cogimurque res diuinas explicare verbis, quæ*

Iuſta Italorum querela.

 pro-

*proprium et ſuum in profano domicilium habuerant; idque non niſi magno labore ac difficultate ſuccedit. Ecquid igitur afferre poſſumus opis ac remedij? Conquirant haſce gemmas et margaritas orationis vndique magno ſtudio, promiſamque verborum ſupellectilem, quantum aſſequi poſſint, in rem transferre ſuam conentur. Sed ſatis iam verborum, nimiùmque longa oratione reprehenſos eſſe concionatores fortaſſe aliquis dicet. Poteſt id quidem videri doctis hominibus, qui nihil indigeant rebus hiſce, quas commentamur hactenus et monemus. Vellem hi mihi reſponderent ambigenti, ſit ne vitium id commune concionatoribus, vt aliorum monita et conſilia non æquis animis admittant, præbeantque ſe ſe difficiliores in eo, quàm cæterarum artium homines experimur. Fortaſſe quia ſummam habet res ipſa difficultatem, notam illis tantummodo, qui negotio et diſcrimini ſe ſe committunt, id poteſt inter cauſas eſſe faſtidij tam ſuperbi, quandocumque in obiurgationem aliquam inciderunt. Obiurgationem enim credunt ex eo proficiſci, quòd non intelligant homines quantam in dicendo gloriam fuerint aſſecuti, quantumque laudis, et admirationis meruerint. Tunc fieri nobis iniuriam putamus, et iniquos tanti laboris æſtimatores eſſe, qui faſtidiosè nimium in res noſtras inquirunt. Præterea*

Obiurgatio moleſta.

*neſcio,*

*neſcio, an verè dici poſſit, accidere concionatoribus idipſum pene, quod in ſyllabarijs magiſtris eſt animaduerſum. Quemadmodum enim iſti, tractando ſemper pueros imperiosè, et quandam in illam ætatem exercendo tyrannidem omnibus horis, contrahunt, ut plurimum, eum faſtum, eamque ſuperbiam, quæ nimia foret in magnis quoque terrarum, aut ſapientia principibus: ita concionatores aſſueti regno, quod tenent in ſuggeſtu, minuunt quotidie, ſi quam de auditoribus opinionem habebant; et creſcit interim in ipſorum animis admiratio ſui, neque ſentiunt illud malum. Verùm, hæc alijs definienda relinquamus, et propoſitæ quæſtioni finis imponatur; noſque potiùs ingenuè fateamur, paucos admodum, ac neminem fortaſſe magnum ſibi feciſſe nomen in ſcribendo, quem non aliena prudentia correxerit aliquando, feceritque meliorem. Poſſem id confirmare multorum exemplo, ſed Tiro ſufficiat vnus, qui conditione cùm eſſet ſeruili, ſcripta magni Ciceronis iudicandi cauſa tractauit haud ſemel; nec ille ſe putabat violari, cùm ab eo interdum admoneretur. At nobis, qui religioſam vitam profitemur, ſumuſque ſanctioris diſciplinæ legibus obligati, tam molles erga nominis noſtri famam erunt animi, vt plena ſalutis, et amoris aliorum conſilia reſpuamus? Vellem, plerique concionatorum id legerint,*

Tiro ſcripta Ciceronis emendabat.

*gerint, quod ego memini legiſſe de homine ple-beio, et litterarum omnium rudi, qui nobilis ma-giſtri vitia ſolerter animaduertit ac deprehendit. Legant, inquam, Ioannis Taulerij caſum, et cùm legerint, conetur vnuſquiſque ſubmiſſionem ipſius, quæ certè magna in hoc fuit, imitari. Ni-mirum admonebimur hoc exemplo, quàm futu-rum ſit vtile concionatori, ſi animum ſuum exol-uerit omnibus humanis curis, priuſquam in ſug-geſtum aſcendat, quàmve oporteat ipſum ad id munus attenta precatione præparari, et quanta ſit eorum vecordia, qui ſic ad concionandum acce-dunt, quaſi vile negotium aggrederentur, aut priuatæ rei cauſa illuc venirent. Concionatoribus hiſce, qui non vitant animi ſui iudicium, idque, ſicuti oportet, ſuſpectum habere neſciunt, vilis eſt animarum ſalus, vile diuinum obſequium; nec ea cura in pectore illis viuit, vt ſapientiæ perfectio-nem aſſequantur illam, cuius amore ac ſiti vete-res philoſophos eſſe peregrinatos accepimus. Nouos illi magiſtros, nouoſque philoſophantium cœtus ex-colendo animo ſemper inquirebant, idque cùm facerent, ſe tamen eſſe nulliſcios profitebantur; iu-dicium ſuum in omni propoſita quæſtione ſuſpen-ſum tenebant; et eo ipſo tempore, quo mortem haberent præcordijs conceptam, ſtudium erat ipſis diſcere aliquid, et commentari. Sed nos argu-*

Veterum modeſtia, & conſuetudo.

*menti*

menti proſequamur ordinem, et cùm iam ſatis immorati ſimus ijs præceptis, quæ videbantur vtilitatis aliquid afferre poſſe, pergamus dicere de ſtudio, et apparatu, quem eſſe neceſſarium ducimus, antequam graue hoc, et omnium humeris formidabile concionandi munus homines aggrediantur. Primùm omnium igitur ita ſtatuo, imitandum eſſe concionatori eorum artem, qui ampliſſimas ædes architectantur. Nam illi, priuſquam vaſtam excitare molem incipiant, conijciunt in fundamenta molares lapides, qui, ſurgente poſtmodum ædificio, penitus occultantur, abſolutaque fabrica, numquam putares latere ibi immania ſaxa in profundo, niſi vel coniecta vidiſſes, vel aliquis moneret. Hanc ego materiem, quæ, cum ſit pars minùs digna ſtructuræ, totius tamen eſt ædificij baſis, atque firmamentum, ſimilitudine quadam puto poſſe comparari vulgaribus illis eloquentiæ præceptis, quæ communiter in ſcholis traduntur. Occultari præcepta hæc oportet, idque, vt ita fiat, requirit huius oratoriæ fabricæ ratio, atque artificium. Sed iactis fundamentis, atque perducta iam in frontem mole, ſubtiliore ſcalptura noſtri nobis lapides erunt elaborandi, et præceptis interioribus, quaſi marmoreis ſegmentis erit vtendum. Exiſtimo autem arcana hæc eloquentiæ per nos ipſos poſſe depromi

Architectorum ars imitanda Concionatori.

*faciliùs ex diuturna eorum lectione, qui optimi dicendi artifices fuere, quàm vel ex Quintiliani Commentarijs, vel ex cætera magiſtrorum copia. Quòd ſi iudicio præſtabimus, hiſtorici quoque, et poetæ nobis ea, quæ cæteri petere ſolent è ſcriptis oratorum, abunde ſuppeditabunt. Videtur hic mihi locus illuſtrari poſſe ſimilitudine retium, et ſaxorum; quæ artis, et Naturæ opera minutis maculis, et granis texuntur et coaleſcunt. Ad eum enim planè modum, orator petitis ex auctorum delectu veluti fragmentis ad ſtructuram, et ornatum, et hinc inde comportata paulatim arena præceptorum, maiora finget corpora, quæ, ſi cum arte deinceps adhibuerit, aptaque dimenſione, mirificam ædificio dignitatem adiungent. Vellem id, quod dico, tam facilè intelligeretur, quàm ipſo palam fieret vſu, ſi poſſem eam quoque diſciplinam eorum animis adhibere, quorum ad manus hæc noſtra cura perueniet. Quia verò materies eſt propemodum infinita propoſita concionatori, reſque multùm inter ſe diuerſas amplectitur ars nullis vnquam circumſcripta terminis ac definita; hinc fit, vt omnium ſcientiarum diſciplinis excultos oporteat eſſe illos, qui ſeſe ad hoc dicendi negotium contulere. Requiritur enim ab illis non ſolum, vt Fidei noſtræ myſteria, et difficultates, quæ in eo verſantur, ac*

Hiſtorici, & Poetæ Cócionatori prudenti non inutiles.

Omnium ſcientiarum diſciplinæ neceſſariæ Concionatori.

*Naturæ*

Natura ſuperant ordinem, explicare poſsint, ſed ut in promptu quoque philoſophiam habeant uniuerſam, in quam partem eam, que eſt de moribus, et affectionibus humanis, facere plurimi debebunt, ac meminiſſe, homines eſſe nos, et apud mortales humana ſapè tractare. Neque in hac philoſophica tractatione ſatis fuerit habere comprehenſa omnia ſubtilitate diſputandi, ſed venuſtate quoque, et arte, et domeſtico, ac proprio quodam uſu. Atque in eo meminerimus, quaſo, Dialecticam artem ſuas altè radices figere; Rhetoricam uerò latè ramos diffundere, quos illa radices alunt. Aſpera illa eſt, et horrida, et ſaporis ingrati; hac autem amœna et frondoſa uiriditate triumphat. Si quis fuerit inſtructus ea diuinarum, humanarumque rerum cognitione, fiet, ut ſpecies, ac formæ multiplices incluſæ animo, noua rerum ſimulachra trahant ſecum, atque inuentione ſimus uaria, et abundanti. Proderit etiam incredibiliter oratori noſtro multorum cognouiſſe ſtudia, et mores, audiuiſſe multa, et communem inſpiciendo uitam, pleraque in commentarios retuliſſe. Sed ſuper omnia proderit habitus ille ſapientiæ, qui labore paratur aſſiduo, diuturnaque peruolutatione librorum et uſu; præbet enim animo, tranſmittitque facultatem definiendi, ac diuidendi, et explicandi quicquid velimus; inueniendi quoque

Rhetoricæ, & Dialecticæ diſcrimen.

*cauſas rerum, et fines, et quæ proueniant inde, quæve circumſtent, et accidant, et ſint rebus ipſis intima et connexa. Nam licèt euanuerit ex animo penitus, ac fuerit dilapſa verborum memoria, quam rudibus annis acceperamus; hæret conſtans tamen et fixa recordatio, quæ nos dubitare non ſinit, quia noſtra vel dicta, vel inuenta ſolida ſint, et ſincera, nec abhorreant à nobilibus artis magiſtris. Hinc fit, vt, cùm nouum aliquid ſcripſerimus, pro certo habeamus, id à vero non diſsentire, nimirum habitu præferente facem animis atque ſenſus intimos illuminante. Poteſt hic habitus ad omnia nobis aptus eſſe, quæ in orationem cadunt; nulla res erit tam noua et peregrina, quin ornari poſsit hoc adiumento, neque id in alia magis, quàm in ſacri concionatoris arte locum, atque neceſſitatem habet. Cæteræ liberales artes ſingula noſtris inſtrumentis efficiunt; hæc autem erit imperfecta et manca, niſi commune quoddam inſtrumentum habuerit, et vim quandam atque virtutem, quæ ſine vlla exceptione aut temporis, aut loci, per omnia ſeſe diffundat. Excelſa hæc eloquentia, quæ habitu perfectæ ſapientiæ ſit inſtructa generali, neſcio, an poſsit vlli rerum humanarum rectè comparari. Fieri poteſt, vt fallar, ſed, capto ambitu quodam altiore, videor ita poſſe ratiocinari. Cùm Deus hanc rerum*

Habitus quanti ſit momenti.

*vniuer-*

*vniuerſitatem creare conſtituiſſet infinita ſua vi et potentia, quantum aſſequi poteſt humanæ mentis coniectura, duo potiſſimum ſpectauit, vt primò ſcilicet crearet Mundum, eumque iuberet eſſe; deinde, vt creatis rebus vim donaret atque ſpiritum, quo ipſæ res alias gignerent fœcunditate inexhauſta et perenni. Hinc illa Cælo, Terraque tam numeroſa ſoboles rerum; virentque agri, et florent; et onuſta pomis arbores cernuntur. Quantò magis autem homo ipſe anteiret nobilitate cæteras animantes, tantò illuſtriora voluit eſſe, quæ ex eo producuntur. Dedit ei facultates, atque ſenſus acerrimos, et eorum vnicuique prouidentiſſimè præſcripſit, in quibus occuparentur; nec videas vnquam earum facultatum aliam in alterius tranſilire fines, ſed manere intra munera, terminoſque illos obedienter, intra quos prima deſtinatione fuerunt incluſa. Ipſum quoque corpus hominis in varia membra cùm deſcripſiſſet, certis addixit muneribus atque miniſteriis, quæ nimirum obeundo, laudabiliter ac rectè vices impleret ſuas, atque omnia, quæ ad ipſum pertinerent, exequeretur. Sed quò magis adhuc eum honeſtaret alta Numinis liberalitas, inſtrumentum ei generale conceſſit, quod in omnia corporis munera porrigeretur æquabiliter, idque manus fuit, nulli nominatim alligata miniſterio,* Manus generale inſtrumentum homini.

V 2 parti-

*particeps omnium, quæque habili ad omnia docilitate, alteram veluti naturam efficere conatur, vt meritò viri ſapientes eam inſtrumentorum inſtrumentum appellarint. Quid non agit illa? Quid agere poſſumus eius ope deſtituti? Nihil eſt vſquam, neque tam excelſum et illuſtre, quod, ſi deſit ea, poſſit adminiſtrari, neque tam obſcurum et humile, quod geratur, ipſa non adiuuante. Nullus vitæ foret vſus homini, eſſetque mortis ſimulachrum ipſa vita, niſi comitem, et miniſtram hanc haberemus; beſtiarumque potiùs ritu, quàm hominum viueretur. Vbinam eſſent vrbes, ædes, vita ciuilis, commercia, et quidquid humanæ ſocietates requirunt? Scientiæ quomodo propagarentur in ſæcula? Quomodo fructus ingenij vitam proferrent? Omnia mæror occuparet, rigeretque miſerijs, et paupertate Mundus; et otium, peſſimum illius venenum, facilè poſſet diſſoluere ſine miſerando pulcherrimum hoc opus. Verumenimuerò, ſummus Opifex, cùm tam exiguæ partis munere tot nobis contuliſſet beneficia, tantaſque donaſſet opportunitates, circa id, quod in homine ſummum eſſet, non minore vſus liberalitate, muneribus animum et mentem ampliſſimis condecorauit. Dedit namque copiam verborum, dicendique vim, et artificium, et perſuadendi facultatem inſtructam,*

atque

*atque ſubnixam generali ſcientia, qua res, prout expediret, ac luberet, infinitas poſſet peragere, ſicuti antea eſt demonſtratum. Hæc manus animi, quæ corporis eget adiumento, ſicut altera corporis manus, adiutorem animum requirit, nullis eſt circumſcripta finibus, extra quos euagari non poſſit, agitque ſemper, et profert aliquid noui, non ſolum in omni varietate ſcientiarum, ſed in rebus etiam omnibus humanis, et diuinis, quæ ad hominem ipſum pertineant. Vtar compendio quodam, et dicam, nihil eſſe tam excelſum, tamve depreſſum humi; nihil tam nobile, tam abiectum; nihil tam grande, tam exiguum; nihil tam abditum in tenebris, tam poſitum in communi luce; nihil tam mobile, tam fixum, quin hæc manus arripiat vi ſua, et trahat. Hac adiutrice ſubducti nos in Cælum, alloqui Deum audemus; penetramus ad intimos animorum ſenſus; inhibemus aliorum conſilia; Regum animis imperamus, et quaſi Mundus creatur alter, quem plerique tanta cum voluptate, quanta priorem fortaſſe Mundum admirantur. Expoſuimus hoc libro ſingulatim ea documenta, quæ fortaſſe vtilia fuerunt eſſe noſtris hominibus ad concionandum. Tractauimus quoque generatim artis præcepta, nec ſunt omiſſa, quæ poſſe ſua induſtria ſibi comparare quempiam arbitraremur; ac denique dictum eſt*

Eloquentia eſt manus animi.

Quarti Libri ſumma.

*quænam*

*quænam debeat eſſe perfecti oratoris facultas, et ſcientia. Iam verò, quia forma hæc artificioſa ſermonis noſtri, quæ dicitur eloquentia, tantis, vt demonſtrauimus antea, circumſepta difficultatibus eſt, vt in eo ſuperet cætera omnia, quæ vi ſua comprehendere ſcientia et cognitione humanus animus poſſit; ideo, proſpiciens ad conſequendam huius eloquentiæ perfectionem nequaquam auxilij fore ſatis in ſimplici ac nuda præceptorum tractatione, faciendum putaui, vt exponerem quinto deinceps libro, quænam exempla, quiue tum ſacri, tum profani ſcriptores eligendi eſſe nobis ad imitationem viderentur. Nulla enim erit præſtantior diſciplina.*

DE

# DE SACRIS NOSTRORVM TEMPORVM ORATORIBVS

## *LIBER QVINTVS.*

*MINIME credo ego, poſſe quemquam admirari, quòd non habeat hodie tales oratores Eccleſia, quales antiquis Græcæ, vel Romanæ Reipublicæ temporibus in foro curiaque verſabantur. Non enim præparamur ad dicendum eo ſtudio et cura, quam ſummi tunc oratores adhibebant. Vbi nunc inuenirentur homines tam auari bonarum horarum, vt, ſemitonſo capite, cogerent ſe ipſos abſtinere publico; qua Græcus ille deformitate ſeſe contra vagandi dulcedinem armauit? Quis hodie fluminum ripas, aut adire littora Maris vellet, vt horriſono illic aſſuefactus murmure, poſſet ipſe grandiori poſtea* Veterum Oratorum ſtudia.

*voce*

voce contundere ſtrepitum inſanæ multitudinis, atque violentior in eam tonaret? Quis noſtrum, vt magnus ille Demoſthenes, humero dextero, vel ſiniſtro ferrum applicaret eo ingenio, vt, ſi tantillum indecorè ſeſe commoueret, eodem momento vulneraretur arte ſua? Quàm paucos denique reperias, quos neceſſe ſit exorare, ne dicendi munus relinquant; quive pertimeſcentes huius muneris pericula, diuſque dubios, orationem vnam in tertium vſque premant annum, antequam ad pronuntiandum inducantur; et emendantes aſſiduè ſua ſcripta conſeneſcant? Non peregrinamur hodie Rhodum vſque, nec excellentiſſimos artis magiſtros auidè conſectamur, nec æquis admittimus auribus aliena monita, quaſi meliores ipſo Cicerone, qui exprobrantes ſibi ſuæ orationis vitia, tam libenter audiebat; ſtuduitque tantopere caſtigare ſi quid amici luxuriare iuueniliter cenſuiſſent. Ego igitur affirmauerim, artem eſſe nullam, in qua minus operæ conſumant homines, quam in eloquentia; fierique laboris tædio, vt ad res tantùm ipſas attenti, leui cura in verborum, et ſententiarum ornatu vſquam, ſicuti paulò antea conquerebar, occupemur. Cùm autem antiqui illi proceres eloquentiæ, inuicto laboribus animo, tantum temporis, et curæ poſuerint in ſcribendo, quis poterit dubitare, quin eorum

Cicero caſtigantes audiebat.

rum

*rum monumenta ſint abſolutiſſima artis, et pene omnem humanæ ſapientiæ vim amplectantur? Legendi ſunt igitur accurata meditatione, nec ſolum, vt hauriamus inde res pulcherrimas, quibus eorum ſcatet oratio, vtve colligamus eloquentiæ præcepta, quæ ſunt ibi expreſſa diuinitus, ſed etiam, quia vim nobis eam facilè ſuppeditabunt, qua permouere mentes auditorum, et in noſtros leui momento trahere ſenſus poſſimus. Non amplector autem ego profanorum appellatione, fabellarum auctores, eoſve, qui Græca, vel Romanæ vanitatis exempla litteris mandauere; nec tantùm ob eam cauſam cenſeo tractandos eſſe poetas, vt ſimilitudines, et lepores, et floſculi, et inania multa, ſed potiùs, vt ſolidi fructus ex eorum lectione decerpantur, exprimendo nimirum vim, acrimoniamque verborum, et varios miſericordiæ, vel doloris affectus, in quibus excitandis eorum plerique ſummam eſſe conſecuti laudem videntur. Eſt igitur inanis ex profana illa veterum auctorum conſuetudine timor, atque religio; nec poterunt vnquam moribus obeſſe noſtris, ſi maturo conſilio, et ea, qua decet, cautione tractabuntur. Nam, ſicuti magnopere nobis eſſet optandum, vt, ſi poſſet reuiuiſcere Demoſthenes, et Chriſtianos induere mores, concionaretur de noſtræ Fidei myſterijs ea vi, quæ propria*

Profani quinam legendi Concionatori.

X fuit

*fuit ipſius , et inſectaretur acerrimè vitia et labes , quæ nunc in communi vita verſantur ; ita ſtudendum eſt concionatoribus hodie noſtris , vt poſſent talem ab ore fundere ſonum orationis , qualem Demoſthenes olim ipſe fundebat. Quantam exiſtimare debemus oratores illos Athenienſes habuiſſe vim in dicendo ; quæ vocis , et actionis , et motus efficacia vſos fuiſſe , quandoquidem neceſſariam eſſe legem putauere , quæ vetaret oratorem in exordienda oratione , vel concludenda miſcere quidquam ad animos permouendos , tolleretque præcipua ornamenta , quæ propriam in orationis principio, ac in fine ſedem habent ? Non tamen poterit accedere quiſquam ad eorum imitationem , niſi prius ea , quæ ſcripta reliquere , peruolutarit ; neque perfectus omnino concionator exiſtet , niſi qui tractatione illorum diuturna fuerit exercitatus.*

Exquiſitæ imitationis formæ.

*Exquiſitæ autem imitationis formam et modum , ſicuti ſculptor aiebat eximius, cùm de ſua loqueretur arte , tunc erit aliquis aſſecutus , cùm tranſierit ars in naturam; quod nequaquam exigui temporis eſſe negotium intelligere omnes poſſunt . Nec ideo debemus imitando procedere tam longè per imprudentiam , vt ſuſpicari homines poſſint , videri nobis alienum à ſtudio , et exercitatione dicendi præceptum illud , quo Marcus Tullius Cicero decorum definiuit , cùm*

ita

*im diceret*; Admodum autem tuenda ſunt ſua cuique non vitioſa, ſed tamen propria, quò facilius decorum illud, quod quærimus, retineatur. *Deinde paulò poſt ſubdit*; Id enim maximè quemque decet, quod eſt cuiuſque ſuum maximè. *Monemur eo grauiſſimo conſilio, ne leuiter ac temerè noſtræ formam orationis immutemus, neve deſcendamus illuc nulla ſtimulante neceſſitate; et tantùm ſtudio quodam experiendi, num alienam nos induere formam poſſimus. Ita Cicero, cùm Demoſthenem imitaretur, magnopere attentus fuit, ne quam ſui partem euerteret, atque labefactaret, ſed ea tantùm ſequeretur, quibus ipſe ſua ſtudia, et natiuum habitum atque propenſionem animi quàm perfectiſsimè poſset expolire. Neſcio, an mihi progredi liceat illuc, vt affirmem, quamuis geſtiat atque exultet imitatione Demoſthenis Cicero, contigiſſe tamen ei, vt exprimeret ea tantùm, quæ in illo fuerant oratore, obuia et prompta, vim autem ipſam, et acrimoniam, ac violentiam enthymematis, magnitudinemque ſententiarum, et conſiliorum, et quandam tota diffuſam oratione magnanimitatem haud ſanè fuiſſe conſecutum. Quòd ſi res ille tantas eſſet aſſecutus, minimè dubitamus, quin conditionis ſuæ gloriam potuiſſet augere partibus infinitis, et exhibere ſpe-*

M. Tullius de Offic. Lib. 1.

Cicero quomodo Demoſthenem imitatus.

ciem eloquentiæ longè præſtantiorem ea, quàm in ipſius libris admiramur. Diuerſa orationis forma placuit horum vtrique; duoque ſummi oratores fuere diſsimillimis inſtitutis, ſicuti pleriſque eſſe animaduerſum video. Nam Demoſthenes ad inſtar ſagittæ, rectà tendit in finem ſuum: Tullius eſt ſimilis volucri, quæ circumuolitans aliquandiu, poſt multiplices denique gyros, in prædam incumbit. Afficit, afficiturque Tullius euidenter: Demoſthenes occultiore via. Non videtur hic meditati quidquam attuliſſe domo; quod de altero illo ſuſpicari paſsim licet; nec eſt ea Tulliana facies orationis ex intimo ſenſu deprompta, vt Demoſthenica, et ſolùm ad perſuaſionem facta. Deprehenditur enim artificium, et pro animi motu conatus ingenij, ſtudiumque non tam perſuadendi, quàm dicendi ad quandam etiam oratoris ipſius voluptatem accommodatè. Ideo Demoſthenis eloquentia ſemper erit magis vtilis et apta concionantibus, quàm eloquentia Tullij, ſicuti quidem antea, cùm de enthymemate ageretur, eſt demonſtratum. Plus etiam apparet in hoc oratore Græco, vel ſeueritatis in animi ſui moribus, vel rigoris in aliorum accuſatione; neque quiſquam vnquam tanta grauitate ſpernere viſus eſt hominum ſtudia, et potentiam, quanta ille ſeſe rerum huiuſmodi contemptorem præbet.

Demoſthenes, & Tullius inter ſe diuerſi.

Neque

*Neque indicantia verba iuſtitiam, et animi robur, et religionem, atque pietatem in Deum, in alio vſquam oratore frequentiùs fuere; caretque ſemper illius oratio ſuſpicione vo tatis. Aliquando mihi veniebat in mentem cogitare, num orator ille, quem cæteri tantopere fuiſſent imitati, quempiam imitari voluiſſet eorum, quos illa ætas dicendi gloria præſtantes tulit. Sanè fuiſſe alienæ orationis æſtimatorem attentiſſimum indicat ea res, quam de ipſo memoria proditam accepimus. Quoties enim alicui concionatori præbuiſſet aures, reuertens inde domum, examinabat tacitus atque ſeponebat ea, quæ cadere poſſe in rem ſuam arbitraretur. Et quamuis eſſet haud dubiè ſapientiſſimus omnium, poſſetque ab oratoribus illis admodum pauca mutuari; fortaſſe tamen fiebat ipſa rerum varietate, quas audiret, vt ad noua, et meliora quædam excogitanda ſolers illius animus excitaretur. Videntur omnino laudabiliter facere concionatores illi, qui ſeſe concionatoribus alijs ſæpe auditores præbent; eaque conſuetudo facilè animum declarat nulla ſuffuſum inuidiæ, vel ſuperbiæ labe. Debebunt autem in hoc audiendi ſtudio, non ſolùm in id eſſe attenti, vt condant animo ſuo ac ſeponant, ſi quæ præclarè, vel acutè dicentur, ſed etiam cuſtodire diligenter ea, quæ rerum auditarum occaſione venient in mentem,*

*vt,*

vt, cùm domum inde reuerterint, animo quiete cuncta ſecum ipſi perpendant. Demoſthenes igitur, quantum coniectura licet aſſequi, meditando magis, et contemplando, quæ dicturus eſſet, quàm alios audiendo, tantam eſt illam eloquentiæ laudem aſſecutus. Et quia videtur, mille aures, oculoſque totidem habuiſſe prætermittendo nihil vnquam, nihil tranſeundo per obliuionem, declarat ea res hanc ipſi fuiſſe conſuetudinem, vt lentè admodum probaret ea, quæ litteris mandaret. Neque enim vllus hominum tanta fuerit felicitate in ſcribendo, vt ei ſub ſtyli ſtatim acumen ſuccedant ea, quæ ſunt ab ipſo ſcripta diuinitus. Apparet eſſe profecta omnia ex illius mente, qui multum temporis in meditando conſumpſerit; ac ferè ſunt eiuſmodi, vt accidant ad aures noua et inexpectata, vnicaque ratio plura reſpicit capita, et fines diuerſos, quàm ille rerum connexionem eſſe videtur aſſecutus, addendo multa deinceps, et varijs ſubinde temporibus, argumentum vniuerſum attentè peruolutando.

Demoſthenes meditator.

Sed quamuis in omni ſuarum orationum parte Demoſthenes mirificus excelſuſque reperiatur; in Philippi tamen inſectatione mihi ſuperaſſe ſe ipſum videtur; idque debuit accidere, vel quia ſtimularetur oratoris animus erga Regem odio, vel quia de maximis vniuerſæ Græciæ rebus ageretur;

Demoſthenes in Philippum mirificus.

tur;

*tur; publicamque ſalutem id negotium attingebat; et verſabantur omnes in ſummo diſcrimine. Cæterùm, ille ſemper aliàs admirabilis et diuinus, in ſimilium inuentione non perindè felix fuit; quod arguit ſummam negotij totius difficultatem, et noſtros homines, vt eo genere parciùs atque cautiùs vtantur, facilè poteſt admonere. Cenſuit, credo, ſimilitudines ipſas minùs aptas eſſe ſapientum auribus, cùm formis nequaquam indigeant illis, quæ ferme ſunt imperitæ multitudinis libri, ſicuti de pictura dictum fuit. Reliquas autem ipſius laudes non ſatis à me poſſe arbitror explicari; neque nunc id aggrediar, vt quantus reuera fuerit orator Demoſthenes, oſtendam. Affirmo nihilominus, tantam in ipſo fuiſſe violentiam, et motus adeo viuaces, tantumque vel artis profundæ, vel natiuæ ſimplicitatis, vt non orator, ſed res ipſa loqui videatur, ſemperque tectior in amplificatione Demoſthenes fuerit, quàm Cicero; et hoc ipſo plus auctoritatis ad fidem faciendam habebat. Non præcurrit expectationem argumenti concluſione, ſed inſerit magni ſemper aliquid, et inopinati; minimèque contentus nuda et ſimplici propoſitione, quam excogitarat, elicit ex ea quæcumque poteſt, et quendam ipſius exprimere quaſi ſuccum conatur. Hinc fit, vt communes eloquentiæ terminos excedat, ac ſæpe progrediatur ad*

Demoſthenes in ſimilibus parum felix.

metam

*metam illam vltimam, vltra quam non extenditur humanæ mentis facultas. Plerique omnes contendunt, enthymema proprium fuiſſe Demoſthenis, ita vt in eo argumentationis genere nemo magis excelluerit. Hoc enthymema exiſtimo ego ſimile eſſe tractorijs machinis, quarum adiumentis in re militari fiunt, ac mouentur ea, quæ nec fieri, nec moueri poſſe videbantur. Refert quoque ſimilitudine quadam nauium vela, quæ, cùm ſint molli admodum fragilique contextu, molem tamen illam tanti ponderis impellunt, nec ipſa diſrumpantur. Ad eum planè modum miracula ſpectare licet eloquentiæ, quæ noſtros tam leni motu flectere animos poteſt, immobiles alioqui, et nulla ſuperabiles violentia. In occultam hanc eloquentiæ tyrannidem ſemper intentam habere mentis aciem noſtri concionatores deberent, omiſſis verborum floſculis, et conſectatione rerum, quæ iucunda, et peregrina nouitate permulcere animos poſſint. Quòd ſi aliquis fortaſſe teneretur inani ſtudio popularis auræ, velletque dicendo videri magnus, et auguſtus, et ſummos hominum excitare clamores, non equidem video ego quid poſſit eſſe tam magnificum et admirabile, quàm omnium animos vnius oratione conuerti, et ligari, ſicuti fit, cùm ad eos trahendos vim argumentorum admouemus. An fortaſſe militares copiæ*

Enthymema ſimile tractorijs machinis.

*nitentes*

*nitentes purpura, gemmiſque, et auro, ſi fuerint inter. a deſides ad pugnam, ornatu ſuo victoris gloriam ſuperabunt? Verùm, ſi voles vtique cuncta in orationem ornamenta transferre, idque animo tuo fixum atque deſtinatum erit, illis tantummodo velim vtare, quæ tibi erunt accommodata; debebiſque ſatis habere, ſi potueris Marci Tullij, vel Salluſtij, Liuijque, vel Taciti oratorios ornatus adhibere, ne etiam illa conquiras, quæ ſunt extremæ vanitatis, quæve penitus abhorrent à ratione, et arte, nec iuſtius aliud, quàm ineptiarum, et vecordiæ nomen habent. Videtur in hunc locum illud egregiè cadere, quod eſt apud Clementem Alexandrinum de principe pictorum Apelle. Cùm enim diſcipulum ille ſuum vidiſſet ita coloribus Helenam expreßiſſe, vt effigies tota gemmis, et auro circumluceret, conuerſus leniter ad eum; tu verò, inquit, ò fili, cùm non poſſes hanc pulchram facere mulierem, feciſti ſaltem opulentam. Credunt aliqui, poſitam eſſe ſtyli, et orationis elegantiam in eo, ſi res, et verba quæſita vanitatis congerere, et oſtentare poßint, atque perſuaſum habent, eloquentiæ, vel doctrinæ famam, et opinionem omnibus modis eſſe colligendam. Ideo, paßim audiuntur qui velint prompta videri ſibi ſacrarum Litterarum teſtimonia, quibus quamcumque rem propoſuere, confirment,*

Clemens Alexan. lib. 2. Pædagog. cap. 12.

Concionatorum circa ſtylum, & orationē error.

*ment, ac ſe interdum accinxere, vt vicenos locos abſque vlla reſpiratione, vel neceßitate recitarent. Exhibent alij ſententiarum, ſiue conceptuum, vt ipſi loquuntur, aceruos vna concione; idque cum fecere, tamquam exhauſto funditus argumento gloriantur, nec animaduertunt, longè magis debuiſſe afferre pauca quædam, et exquiſita, quàm inania multa, et perturbata, quæ ſcilicet indicarent, ne leuiter quidem ipſos attigiſſe ſacras eorum litteras, qui vel præceptis artis, vel orationum ſuarum exemplo, poſſunt nobis eſſe duces ad rectè dicendum. De inſtitutis eorum, et eloquentia mihi deinceps agendum erit, fauente Deo, et explicanda recordatio veteris memoriæ, quam fore plenam vtilitatis arbitror, non ſolùm ob diuinam ipſorum circa myſteria Catholicæ Religionis eruditionem, et auctoritatem, ſed quia fuere plerique venerabiles etiam eloquentiæ miraculo. Poteſt facilè quilibet exiſtimare ſummos illos auctores, præcipuè autem Græcos, tantam illam in ſuo quemque genere præſtantiam aſſecutos eſſe, præter diuini luminis radios, et aſsiduos ipſorum labores, imitatione præſertim eorum, qui ſiue ſacri, ſiue profani celebrabantur iam, et florebant eloquentiæ fama; neque dubito ego, quin omnia, quæ digna eſſent lectione, legiſſent illi, et attentiſſimè pertractaßent animo ſcilicet, vt ſcriptis*

Græcorum Patrum excellētia.

ea

*ea ſuis insererent, atque imitarentur. Verùm, id fecere tam leniter, et modeſtè, tantoque iudicio, vt ex alijs alia deſumentes, propriam, atque natiuam ſibi fingerent fabricam orationis. Poſſumus in Sancto Gregorio Nazianzeno: poſſumus in Chryſoſtomo deprehendere multa, quæ fuiſſe Demoſthenis eos imitatores, oſtendant; ipſeque notarem translatos prudenter in ſacra locos è profano, ſi quam eius rei neceſſitatem viderem. Optima igitur et germana fuerit imitatio, quæ multis occultabitur, atque tegetur inuolucris; nam oſtentare palam eam, atque proponere velut in publico, monſtrando ſuam quaſi digitis induſtriam, et ea ſeligendo, quæ verſentur in oculis omnium, et ſermone, puerile penè negotium putamus. Etiam animaduerto, ſacros iſtos tanti nominis ſcriptores, manente adhuc gentilitatis colluuione, nequaquam ſibi decorum exiſtimaſſe, ſi viderentur inde petere magiſtros, et ex illa ſeſe venire ſchola profiterentur. Atque præter obuia paſſim in Patrum litteris imitationis huius veſtigia, declarat ipſorum in hoc genere ſtudium, attentamque diligentiam nobile dictum Libanij, quod nunc mihi venit in mentem. Cùm enim ille ſupremis appropinquaret, interrogarentque diſcipuli, quemnam crederet in publico docendi munere poſſe ſuccedere, quandocumque ipſe diem*

Nazianzenus, & Chryſoſtomus Demoſthenis imitatores.

Libanij dictum.

*ultimum expleuiſset, reſpondit, ex eis, qui tunc uiuerent, aptiorem fore neminem Ioanne Antiocheno; poſſe illum egregiè munus ſuſtinere. Baſilium quoque Libanius idem monuit in familiari ſermone, quamuis omnem ornatum orationis adſpernaretur, atque fugeret ultro; fore tamen ob præteriti temporis ſtudia, conſuetudinemque diuturnam, ut cogeretur ipſe eloquens eſſe, facundiaque, et illecebræ omnes orationis illum ſequerentur. De hoc Baſilio dixit in ſua laudatione Nazianzenus, habuiſſe ipſum eam dicendi artem, quæ flammas et ignem ſpiraret. Non ego nunc ingrediar in eam diſputationem, ut comparando Latinam eloquentiam cum Græca, genus coner alterutrum anteferre: tantum dicam, ſatis eſſe multos è noſtris, quos laudabiliter ac tutò poſſimus imitari. Cyprianus Martyr occurrit ex ea claſſe, quo in oratore grauitatem arbitror ſummopere eſſe commendandam, hac præſertim ætate, qua, cùm tot ego concionatores egregios audiuerim, uix duos, treſue ad ſummum inueni, qui laudem eam in dicendo conſectarentur, non leui ſanè difficultatis argumento, cuius ego cauſam explicare non poſſum. Orator eſt prætereà ſuccoſus, breuis, abundans uarietate pulcherrimarum rerum, et ſæpe uiuax, neruoſus, acutus, ac denique talis, ut, ſi quis hunc unum*

Cyprianus Martir.

ſibi

ſibi proponeret imitandum, ſummam facilè laudem in ſuggeſtu poſſet inuenire. Certè licet admirari quid ſit cauſæ, quamobrem in tanta copia, tot exemplis ornandæ gnauiter orationis, malint homines eligere alia opera, velut per aberrandi dulcedinem, nouæ quidem, et à conſuetudine communis ſenſus aliena, pleruſque vitioſa et abſurda. Fortaſſe facilius aſſequitur imitatio ſi quid occurrit praui et peruerſi, quàm ſi perfectum et ſingulare quippiam deſtinamus, eſtque natura ita comparatum, vt boni nihil exiſtat, niſi concurſu multarum rerum, quæ bonum ipſum efficiant, malum verò fiat vnius minimæ rei vitio et culpa. Ideo, ducet è pectore rudem agreſtemque vocem homo quandocumque volet, ſed non idem ſuaues ex arte modos exhibebit. Arbitror præterea fieri, vt quemadmodum oratores olim eximij non degenerem exemplo ſuo dedere ſobolem oratorum, quæ magno prouentu in ſeculum illud eſt diffuſa: ita mali declamatores erudiunt ſuis vitijs alios, et doceant ineptire tantum, atque aures, et animos hominum offendere ſuis modis. Si quis erit igitur amplificandæ orationis incurioſus, atque tardior ad inueniendum, et rerum, atque verborum inops, nec ea fecunditate, quæ cernitur in multis, poterit ille meo iudicio diligenter et attentè peruolutare Cyprianum, atque ita imitari inge-

Mali declamatores alios gignunt.

*nij ſterilitatem euincet. Porrò, ad euitandas humiles et abiectas atque ſordidulas formulas orationis, quæ petitæ videntur à pharmocopola, vel à tonſore, paſſimque audiuntur è ſuggeſtu, ſermones opportunos eſſe Sancti Leonis arbitramur, qui tollerent infelicem orationem humo, atque languorem illum emendarent, qui planè inutilis eſt ad perſuadendum. Hi graues, et ſeueri mores orationis, atque ſonorum illud in dicendo fuiſſe videntur etiam adeo naturale munus*

Hieronymus, & Ambroſius.

*Hieronymi ſimul, et venerandi Patris Ambroſij, vt, ſi quis eorum ſcripta ſedulò tractarit, illamque vim imbiberit animo, fieri non poßit, quin eius oratio grandior exiſtat, et neſcio quid vigoris, ac maieſtatis adipiſcatur. Sed redire cogimur ad illud, de quo ſum alibi conqueſtus, infinitum ſcilicet eſſe numerum eorum, qui ſcientiarum, et eloquentiæ gloriam animis concupiſcant illi quidem; fugiant autem laborem, quo præſtantißima quæque relegenda ſæpius eſſent, donec habitus acquiſitus eßet eius facultatis, quam expetiuere. Iam verò, qui volent orationem in ſuggeſtum afferre viuidam, acrem, et robuſtam valida neruorum compage, ſequi debebunt Auguſtinum, cuius tanta excellentia eſt in eo genere, vt neſciam, an poſſit Græcia tale quidquam oſtentare. Quàm*

Impetus Auguſtini diſputãtis.

*præclarè à nobis fieret, ſi robur, et impetus illos diſpu-*

*diſputantis in hæreticos Auguſtini transferre conaremur in eos ſermones, quibus hominum vitia et iniurias in Deum obiurgamus? Non ille peragit rem vnico argumento, ſed congerit plura ſemper, nec vna contentus victoria, vincere ſæpius amat, vultque ducere victos in triumphum. Dixere nonnulli, remiſsum eſſe quiddam in Sermonibus Auguſtini; quod fortaſſe potuit accidere propter animos auditorum, qui placidum ac lene genus orationis requirebant. Scimus eum vnica oratione ſubegiſſe populum, vt abſtineret à ſcenicis ludis, quorum erat in animis inueterata dulcedo; ipſeque de ſe loquitur alicubi, et ait, ſolitum fuiſſe demandari ſibi concionandi munus, quotieſcumque ſe præſente negotium aliquod incidiſſet eiuſmodi, vt verba facienda eſſent è ſuperiore loco. Etiam fuere qui dicerent, nuſquam eſſe ſui ſimilem Auguſtinum, niſi vbi cum aduerſarijs altercaretur. Ego ſemper exiſtimaui, ſummam Patrum etiam in ſola eloquentia laudem fuiſse, cùm tam multa ſint amplexi ſuis litteris, cùmque potuerint argumentum omne tractare quodcumque illis placuiſſet. Habet vna, vel altera ſcriptio, liberque rectè compoſitus vnus magnam vtique commendationem; ſed plurima ſcribendo, ſtare ſemper æquo gradu, neque vacillare vnquam et labi, magis arbitramur eſſe*

S. Auguſtinus Lib. 1. de ciuit. Dei c. 31.

In Prologo Retract.

gloriо-

*glorioſum. Concidunt enim latera longo velut itinere, cadimus, aberramus, atque etiam interdum præcipitamus vltro. Poterunt quoque certa tantum argumenta, certaſque res aliqui ſumere ſibi ad ſcribendum; ideoque mediocris orator facilè vincetur ab nauta, vel ſtatuario, vel pictore, ſi fortè voluerit cum eorum aliquo de ipſius arte conferre ſermonem. Linguarum enim proprietas, et notitia finibus interdum anguſtis includitur; quod facilè ſentire poſſunt illi, qui de quacumque re ſtatim ſeſe profitentur eſſe dicturos; atque peccant ſæpe concionatores in eo, dum præliorum apparatus, et caſus maris, ac naufragia, tempeſtateſque deſcribendo, plurima dicunt abſurdè, quia nimirum illos egredi fines voluere, intra quos eorum contineri ſermonem oportebat. Dubitari poſſet etiam, num Patrum volumina, quæ nunc extant, ſcripſerint ipſi, an verò, ſicuti fit, dictarint. Ambroſius enim, et Auguſtinus alicubi tum ſcripſiſſe, tum dictaſſe ipſos aiunt; quod periculum, atque diſcrimen, neſcio, an profani Græcorum oratores voluerint adire. Immo noſtrorum Græcorum vnus longiùs etiam proceſſit audendo; non enim repugnabat Origenes, quominus ipſo concionante ad populum, ea, quæ diceret, exciperentur; eiuſque verba ſunt eiuſmodi, vt ex re nata dixiſſe multa ipſum declarent. Hunc tamen*

men

*men Origenem accepimus, ſuam omnem in ſuſpenſo ſapientiam tenuiſſe, donec ad quinquageſimum vſque progreſſus ætatis annum, diuturna, et aſsidua fecit conſuetudine, vt legendo ea, quæ ſubito fudiſſet impetu, nihil omnino mutare, vel addere neceſſe haberet. Nunc omiſſo circa Latinos Patres temporum ordine, de Tertulliano primùm dicam. Poſset aliquis hunc legendo ſæpius, atque in quotidianum vſum et familiaritatem aſſumendo, conſequi vim et robur orationis, et ſerium quiddam, et eius denique partem auctoritatis, quæ propria magiſtrorum eſt in loquendo. Apta quoque breuitas exiſteret, et facultas quædam effugiendi faſtidij, dum ex aliorum libris eruditè, ac variè multa diſputantur. Lactantius vtilis poteſt eſſe ei, qui vellet videri floridus, et abundans in oratione dilatanda, quive gratiam et lepores amaret eos, qui ſtatim in oculos incurrunt. Gregorius Niſſenus poterit afferre ſolidæ eloquentiæ fructum, et verè oratorios ornatus, non inanes phaleras, tinnitumque verborum. Dilatat is quoque prudenter orationem; quodque pluris eſſe faciendum puto, tramites calcat eos, quibus ad veram peruenire eloquentiam poſſimus, oſtenditque perfectæ amplificationis viam. Sed iam tandem oportebit tranſcendere penitus in Græciam, et ſacros eius Linguæ ſcriptores introſ-*

Origenes.

Tertullianus.

Lactantius.

Gregor. Niſſenus.

Z picere

piere, qui nutam ſcilicet ad rectè dicendum curam et operam contulerunt. Iuſtinus Martyr, et Athenagoras erunt faciendi plurimi meo iudicio, quamuis ipſorum ubertas, et elegantia non uideatur famam æquare, quæ de ſcriptis eorum inueteravit. Scatent ſententijs, uigent neruis, et maieſtate quadam, et feruent eo ſpiritu, qui per ea tempora Chriſtianorum animis inſidebat. Æqualis horum ætati Clemens Alexandrinus cum ea ſcribit gratia, et uenuſtate, ut noſtros inter auctores prope referat Plutarchum; tanta eſt uarietas in ſententijs, in ſimilibus, in argumentis, quæ tractanda ſuſcepit; nec unquam ille res conſectando nouas, et inauditas exceſſit in friuola et inania; quod uitium ætate noſtra plerique non uitauere. Dum enim ſententias uolunt offerre cum pungentibus, ut ipſi loquuntur, aculeis, et acri ſapore, credunt omnibus illico placere, ſi quid ipſis arriſit, uerißima eſſe quæcumque uenere ſtatim in mentem, et ſe clarius acutiuſque uidere, quàm cæteros omnes. Inde fit poſtea, ut, ſi libros eiuſmodi quiſpiam attentè perpendat, exigatque ſeuere ſententiam, et pondus uniuerſum, deprehendat abſque dubio lacunas, et uitia, quæ antea minùs apparebant propter inuolucra uerborum, et quia ſpectabantur ex ea tantummodo parte, quæ magis ornata in ſpeciem erat. Relegitur.

Iuſtinus Martyr, & Athenagoras.

Clemens Alexandrinus.

*gitur denique fraus, voluendo rem in omnes partes, et variè commutando, ſtatimque ſtomachatur animus noſter inania illa et fucata. Offendet animos fortaſſe nonnullorum hæc oratio, ſed neque deſignamus aliquem nominatim; et ſtudio veri maius quoque periculum adiremus. Magna inter cæteros fuit fama Baſilij, non modò quæ venire poſt mortem ſolet admiratione librorum, ſed quæ proſequitur etiam viuentes. Orator ſanè vehemens, et robuſtus, et argumentis abundans, denſus prætereà, compreſſus, et ſententiarum luminibus illuſtris; qua laude fortaſſe magis, quàm cæteri de noſtris, Demoſthenem eſt aſſecutus. Candore fuit eximio, et quendam illius linguæ florem cuſtodiuit; qui tamen flos, et candor, ſicuti cæteræ virtutes, in hunc diem minùs apparent eorum oculis, qui donatum latinitate Baſilium legunt. Fecerunt autem, vt credere licet, aliæ ipſius occupationes et curæ, ne maiorem nobis relinqueret copiam eorum ſcriptorum, quæ ad comparandam hanc eloquentiam pertinerent. Ingenio ſemper apparet eleganti, quantum eſſe quiſquam poſſit, ſed in diuino ſex dierum opere, tum alios, tum verò ſeipſum longo interuallo ſuperaſſe eſt viſus. Florente Baſilio, meruit oratoris nomen alius, qui ſocietate ſtudiorum, et amicitiæ vinculo mirificè cùm eo coniunctus fuit. Is omnia, quæ* Fama Baſilii.

Z 2 ſcriberet,

ſcriberet, exigebat ad nominis illius officium, et normam, nec excidere ſibi quidquam patiebatur, quod non eſſet dignum oratore perfecto. Debuit in ſcribendo maximè accuratus eſſe, et quantum coniectura licet aſſequi, lentus etiam, pauciſque verſiculis vna ſcriptione contentus; planèque nullus è noſtris maiora ſigna prebuit diligentiæ, magiſque viſus eſt examinare ſingula verba ſuis momentis, tædiumque lucernæ ferre libentiùs Gregorio Nazianzeno. Nihil reperias in tota librorum eius varietate, quod temerè ac fortuitò, et ſine magna ratione eſſe poſitum videatur; nec vnquam illius oratio fertur inanis et caſſa: contra quàm inſueuere multi, quorum verba ſunt deſtituta ſpiritu, et ſenſu, neque ſubiectam vllam omnino ſententiam habent. Huius oratio, cùm ſit plena rerum, et artis, et ſucci, ſiſtit atque moratur ſæpe legentes haud ſine faſtidio, licet poſtea faſtidium iſtud ſecum ferat ſolatium et voluptatem. Orationum principia ſunt ornata mirificè, multumque ſpiritus et vigoris habent. Digreditur iuſto longiùs interdum, eſtque in parentheſi multis locis interponenda fortaſſe nimius. Vtitur inductione libenter, optimèque omnium eloquentiæ potuit artem ad noſtræ Fidei myſteria tranſferre. Viſus eſt in primis eo genere delectari, quod varios diuinarum Litterarum locos attin-

Gregorius Nazianzenus.

geret

*geret inter dicendum, idque facit ſumma venuſtate, et arte, qua etiam vtitur, ſemet ipſe reuocando, poſtquam aliquid exciderit. Summopere placuit item ei argumentari è magnis minora, et è minoribus magna viciſſim. Elucet in Sanctiſſimi Gregorij monumentis incredibilis quædam humanarum rerum ſcientia, profanorumque teſtimonijs vtitur adeo prudenter et circumſpectè, tantaque diſsimulatione, vt nemo fuerit adhuc meo certè iudicio, qui parem in eo locorum vſu laudem mereretur. Non ille Gentilitati pondus, et auctoritatem addit, extollendo, ſicuti plerique ſolent, eorum dicta, ſed obliquè carpit, ac nihilominus inde petit tela, quæ torqueat in ipſos. Hæc ego non arbitror aliunde proficiſci, quàm ex earum litterarum vſu, quæ ab humanitate nomen accepere. Sicut enim amplectitur hominis natura magnam partem eorum bonorum, quæ ſunt diuinæ prouidentiæ munere diſpenſata in res creatas, et inter cætera, lenitatem, gratiam, pulchritudinem animo, corporeque vnus gerit: ita litteræ illæ quaſi multarum artium, ſcientiarumque compendio, excitat animum ad ea excogitanda molliter et iucundè, quæ cæterarum artium robore, ac ſeueritate vix vnquam aſſequeremur; acciditque beneficio litterarum eiuſmodi, vt, cùm aliquid volumus explicare, quod nondum animo*

Gregorij Nazianzeni monumenta.

Interiorum Litterarum commendatio.

*probè*

*probè conceptum, atque diſpoſitum habeamus, occurrant etiam inuitis pulcherrimæ res in idipſum aptæ, quas nulla librorum peruolutatio ſuppeditare poſſet. Sanè, dum intueor ego vitam, et ſtudia Patrum, ſiuè Græci, ſiue Latini generis, videor animaduertere, conſueſſe illos, anteqnam in ſerena ſapientiæ templa gradum facerent, expolire diligenter animum interioribus hiſce ſtudijs; itemque, poſtquàm ad altiora illa viam tentaſſent, redire ſæpius in hæc eadem, et conſumere multas horas, quò pleniores, atque perfecti magis fierent. Declarat hanc ipſorum conſuetudinem domeſticum et familiare nobis exemplum Auguſtini, quem artis oratoriæ priùs, deinde Cœleſtium rerum interpretem, et magiſtrum fuiſſe ſibi meritò gloriatur vrbs noſtra. Quo tempore Nanzianzenus erat in hominum oculis admiratione ſcientiarum, et eloquentiæ, protulit Græcia Sanctum Ioannem Chryſoſtomum; iſque ferme per eandem ætatem, ſcribendo pariter, et concionando, miraculi inſtar habebatur. Hic fuit valde diſſimilis Gregorio, vel domeſtico magis, et populari orationis genere, vel inter dicendum concitatione quadam, et impetu; potiùsque Ciceronem, quàm alium vllum è profanis expreſſit facilitate, et copia, et aureo flumine; quod nullæ ſordes vnquam inquinant. Extant paſſim verba, quæ proferebat, admo-*

Ioannes Chryſoſtomus.

admodum ei diſsimilia famæ, et auctoritati, quam tantus orator, et pontifex obtineret. Suſpicatur interdum orationem ſuam eſſe ſine fructu, et ea, quæ dicat, vel non audiri, vel contemni, ſeque illis eſſe ludibrio et irriſui, quibus nollet; atque etiam queritur, quòd ſuſceptam rem et argumentum nequeat æquare dicendo. Poſſunt hæ ſuſpiciones, et hæc verba Chryſoſtomi concionatoribus illis animos addere, qui vitioſo nimium pauore fluctuant, ſicut ex diuerſo, comprimere intemperantem eorum audaciam, qui ſe placere omnibus, et ſuam eſſe mirificam eloquentiam arbitrantur. Sed quamuis ita videatur diffidere ſibi Chryſoſtomus: tanta tamen in eo diuinitas erat orationis, vt, cùm duceretur in exilium femina illius iuſſu, quæ capitaliter illum oderat, effunderent ſeſe totæ ciuitates ad ſpectaculum, et illud venerabile os cum lacrymis ac dolore contemplando, dicerent, minorem futuram fuiſſe calamitatem humano generi, ſi Sol ipſe radios contraxiſſet, quàm ſi conticeſceret lingua Ioannis Antiocheni; et illa diuina voce ſuggeſtus orbaretur, ex quo publico teſtimonio vir Dei nonnullum inter grauiſſima mala ſolatium hauriebat. Principijs vtitur grauibus, et ſplendidis, et amœnitate naturali; videnturque repentino, vt plurimum, impetu ex re magis ipſa, ſuſceptoque argumento, quàm extrinſecus aſſumpta. Solet

Chryſoſtomi ſuſpiciones.

Chryſoſtomi exilium.

Chryſoſtomi oratio.

